



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,  
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de**


**Lvgdvni, M.DC.LI.**

Controversia II. De generatione substantiali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

parte materiae dispositae ad formam, & carentis dispositionibus illius formae, quam tunc retinet, alias tunc materia existeret absque omni forma.



CONTROVERSIA II.

*De generatione substantiali.*

**N**OMEN generationis tam accidentalem, quam alterationem vocamus, & substantialem, quae nomen generationis sibi arrogat, in tota sua latitudine sumptum comprehendit. In hac controversia tantum de generatione substantiali, quae simpliciter generatio dicitur, sermo instituitur.

PUNCTUM PRIMVM.

*Quid sit generatio?*

**1** Philosophi, quos retuli libr. 1. Physic. Controvers. 3. Punct. 4. asserentes formas quasi sopitas perpetuo materiae inesse, dicebant nullam dari generationem substantialem, verumtamen cum ibi probauerim novas producti formas substantiales, & has materiae praexistenti vniri media vnione superaddita, quod euici Controversia 4. Puncto 1. & formas has, & vnionem non creari, sed educi ex potentia materiae, de quo Controversia 3. Puncto 4. manifestè concluditur dari generationem substantialem, ex vi cuius producitur saltem vnionis modus, & resultat totum compositum genitum, quod ostendunt omnes experientiae, atque rationes, quibus probauimus dari formas substantiales. Neque in hac re demonstranda amplius oportet immorari.

**2** Aristot. 3. Physic. cap. 1. text. 14. ita generationem describit: *Generatio est via ad naturam.* & lib. 8. cap. 7. text. 62. *Generatio est mutatio de non ente ad ens.* & lib. 1. de generat. c. 4. text. 23. haec habet: *um verò totum mutatur, & nihil sensibile ut eiusdem subiectum ren. anet.* Ex quibus definitionibus hanc ad mentem Philosophi Theologi compingunt: *Generatio est mutatio totius in totum nullo sensibili permanente ut subiecto eodem.* Qui dicebant 1. Physic. Controvers. 1. Generationem essentialiter dicere formaliter vt generationem priuationem, vt terminum à quo, asserant generationem essentialiter definiti per mutationem, & hanc esse de illius essentia, ita vt si in eodem instanti temporis creetur materia, & in eodè producatur forma, & vnio dependenter à materia, harum productio non sit generatio, sedeductio, & totum non genitum, sed educitum denominetur. Hi duplici ratione possunt suam explicare sententiam, possunt enim asserere hanc physicam actionem, quae modo est mutatio, & dicitur generatio equi, secundum suam intrinsecam entitatem connotare priuationem formae praecedentem in materia, ita vt si priuatio illa non praecessisset, non haec numero actio, quae essentialiter est generatio subsisteret, sed alia loco illius, quae non esset generatio, sedeductio. Aliòve modo possunt asserere hanc eandem specie, & numero actionem, ex vi cuius forma equi modo gignitur, cum praecessit priuatio futuram esse, etiam si priuatio in materia non praecessisset, non tamen dicendam esse generationem, quia generatio non solum dicit intrinsecam entitatem actionis physicae, sed addit supra hanc priuationem praexistentem in subiecto, ita vt eademmet actio, qua in prima mundi generatione producta fuit forma elementum in eodem instanti, in quo materia fuit creata, &eductio dicitur, & non generatio ex defectu priuationis praexistens, posset esse generatio, si priuatio formae praecessisset in materia prius tempore creata.

**3** Prior dicendi modus grauius reprehendus est, quam posterior, quia sine fundamento, & contra rationem bonae Philosophiae dicitur Physicam entitatem actionis intrinsecè esse connexam cum priuatione termini in subiecto praexistenti, quod ex duplici capite repugnantiam inuoluit. Primum, quia priuatio est ens negatiuum, quod est non esse ens, & propriè non esse: ergo non potest ab illa dependere entitas positiua, & physica actionis, quae enim connexio

inter esse, & non esse, seu inter positium, & priuationem esse potest: Dices formam positiuam assensus connecti cum negatione dissensus, ita vt sine hac iuxta communio rem sententiam illa non possit subsistere, ac proinde rectè posse rem positiuam connecti cum ente negatiuo, seu cum negatione. Non ad rem, quia assensus dicit negationem dissensus, quatenus opponitur cum habitu illius negationis, videlicet cum dissensu, cum quo in eodem subiecto coniungi nequit, & cum non possit in subiecto in instanti reali temporis non coniungi, vel cum dissensu, vel cum illius negatione, eo ipso quod assensus non coniungatur cum dissensu, cum illius negatione coniungendus est, & hac tantum ratione possunt entia positiua esse connexa cum negationibus, quatenus oppositionem habent cum habitibus illarum negationum. Ex hac doctrina vires refumit ratio nostra. Haec actio physica nullam oppositionem habet cum termino vt existente, neque vt praexistente: ergo nullam connexionem habet cum illius negatione: oppositionem non habere cum termino vt existente perspicuum est, cum potius oppositionem habeat essentialem cum illo, non illam habere cum termino vt praexistente ex eo solum efficaciter esset probandum, quod nullum caput huius oppositionis excogitari potest, id tamen positiuè probò, & clarè ostendo physicam entitatem actionis, quae generatio dicitur, nullam connexionem habere cum priuatione praexistente. Actio physica actionis eadem est in primo instanti, in quo dicitur productio, & in secundo, in quo conseruatio appellatur, sed in instanti, in quo dicitur conseruatio, existit, quin immediatè antea praecesserit priuatio termini: ergo in instanti, in quo dicitur prima productio posset existere, etiam immediatè antea non praecessisset priuatio termini: ergo in illo instanti connexionem non habet cum priuatione immediatè antea praexistente. Secundò impugnatur haec connexio, quia etiam nisi inter priuationem, & positiuam admittatur connexio, haec vanè fingitur respectu termini non existentis, sed iam praeteriti, quia id quod praeterit in ordine ad id, quod modo est, perinde se habet, ac si nunquam fuisset.

Posterior modus defendendi generationem esse essentialiter mutationem minus à veritate aberrat, neque potest rationibus philosophicis impugnari, quia tantum differt à sententia, quae defendit generationem non esse mutationem in modo loquendi, quia de rebus physicis secundum se sumptis idem iudicium fertur, etsi dicatur generationem non esse essentialiter mutationem, siue oppositum defendatur, dum semel concedatur hanc physicam actionem, quae generatio dicitur accidentaliter esse mutationem, & potuisse eandem non habere hanc mutationis denominationem, etsi tunc simul cum illa ratio generationis illi defuisset. Impugnandus tamen est hic dicendi modus, quia rationem formalem vltimò constituentem generationem constituit in ratione quadam extrinseca actioni superaddita, quae ab illa potuit deficere, & iuxta illum nulla datur actio, quae intrinsecè sit generatio, cum omni actioni ratio mutationis, quam essentialiter dicit generatio, accidentaliter contingat. Quod si haec tantum ad modum loquendi pertineant, tamen absurdè dicuntur, quia totius scholae consensus actiones generatiuas agnoscit, quae intrinsecè, & per suas entitates physicas, & per praedicata intrinseca ipsarum actionum generationes constituuntur. Secundò impugnatur hic dicendi modus. Productio Verbi diuini essentialiter est generatio, vt docet fides, & tamen non est mutatio: ergo de ratione generationis non est mutatio.

Respondent nonnulli: Generationem Verbi non esse mutationem, quia repugnat in diuinis dari mutationem, quae in creatis non repugnat. Fateor in diuinis mutationem repugnare, & implicare processionem Verbi esse mutationem, sed ex hoc capite argumentum desumo. Quotiescumque repugnat in diuinis, seu in alio quocumque formalitas aliqua repugnat illud quod formaliter constituitur per talem formalitatem: ergo si generatio constitueretur formaliter per mutationem eo ipso quod repugnaret processionem Verbi ratio mutationis, eidem repugnaret ratio generationis: sed non repugnat ratio generationis tali processionem, potius illam dicit essentialiter, & illi repugnat ratio mutationis: ergo generatio formaliter, vt generatio est non dicit mutationem. Respondent alij mutationem esse de conceptu essentiali generationis creatae specificè sumptae, non verò de ratione generationis abstractae à creatae, & increatae. Contrà: de conceptu generationis

abstrahentis à generatione creata, & increata non est ratio formalis mutationis, sed ratio illa communis non includens mutationem, quæ contrahitur ad incretam, qualis est generatio Verbi per differentiam non includentem mutationem, potest contrahi ad creatam per differentiam contractuam illius rationis communis, ex vi cuius constituitur species distincta à generatione increata Verbi, quæ differentia non dicat rationem mutationis: ergo de ratione generationis creata non est ratio mutationis, cum hæc non includatur in conceptu generationis, neque in conceptu creaturæ contrahente conceptum communem generationis, & constituyente speciem distinctam à generatione Verbi. Confirmatur: Generatio Verbi increati procedentis à Patre increato, & ingenito, & generatio huius hominis procedentis ab alio homine conueniunt vniocè in ratione communi generationis, in qua non includitur ratio mutationis, sed secluso conceptu mutationis à generatione hominis remanent plura prædicata, per quæ possit contrahi illa communis ad rationem specialem generationis creata hominis essentialiter differentem à generatione Verbi: ergo de ratione generationis finitæ respicientis terminum, & principium creata vt distinctæ à generatione Verbi respiciente terminum increatum, & principium impro ductum non est ratio formalis mutationis. Maior negari nequit, minor est per se nota, quia eo ipso quod generatio hominis concipiatur à principio creato in terminum creatum erit contracta ratio illa communis generationis ad rationem specialem essentialiter differentem à generatione Verbi: Consequencia est legitima.

6 Hæc argumentandi forma plurimum obseruari oportet quoties volumus transferre rationem aliquam ex Deo ad creaturas, & ex creaturis ad Deum in qua primò statucnda est ratio communis illius entitatis abstrahentis à ratione creata, & increata, & contrahenda præcisè, per id, quod formaliter addit supra illum conceptum ratio entis creati, & increati nulla alia formalitate depta, vel posita, & sic contra videndum est an Deo, vel creaturæ possit competere: g. inquirimus an in Deo remunerante merita hominum reperiatur proprius iustitiæ actus, non debemus prædicatum aliquid demere, vel addere iustitiæ diuinæ distincto, à iustitiâ creata præter prædicatum entis ab alio, quod à iustitiâ diuinâ relegandum, & entis à se, quod illi tribuendum est tanquam immediatè contractiuum rationis communis iustitiæ, quod si nullo alio prædicato dempto, aut ablato ratio illa iustitiæ in Deo nullam dicat imperfectionem, admittenda est: si verò illam includat, dicendum est talem actum non reperi in Deo, non enim licet dicere iustitiâ incretam diuersâ prædicata dicere, quàm iustitiâ creata præter rationem entis à se, aliàs nihil esset firmum ad cognoscendum an possit virtus aliqua, quæ in creaturis admittitur in Deo concedi, si enim diuersa prædicata constitutiua habeant virtutes in Deo, & in creaturis, posset quis quamcumque virtutem in Deo fingere, & dicere Deum esse humilem, & cum illi obiceretur humilitatem dicere defectum aliquem ex parte subiecti, qui repugnat Deo, responderi hunc tantum competere humilitati creata, & non humilitati increata, & ita his omnibus quæstionibus via occluderetur, & quilibet posset inter virtutes creatas, & increatas pro libito differentiam excogitare.

7 Posset aliter dici generationem non esse essentialiter mutationem, quia esse formaliter mutationem, etsi necessario annexum esset cum actione, semper est aliquid illi extrinsecum & superadditum, negatio enim præcedens, quæ est de ratione constitutiua mutationis semper ab actione distinguitur, sed tantum habere ex se petere negationem præexistentem, ex vi cuius constituitur in esse mutationis quod est exigere constitui in esse mutationis, quæ exigentia separari non poterit ab ipsa actione, quæ intrinsecè est generatio, licet ab illa ratio mutationis actualis possit separari, saltem de potentia absoluta, quia potest Deus contra illius exigentiam actionem illam exercere sine eo, quod illam præcesserit negatio. Posset modus iste suaderi ex eo quod generatio substantialis petit non introduci quouisque materia sit vltimò disposita, & cum materia successiuè disponatur, sic forma petit introduci postquam materia fuit illa priuata in illa mensura, in qua dispositiones fuerunt introductæ. Hunc dicendi modum impugnant rationes adductæ supra, quibus ostendi actionem generatiuam nullam connexionem posse habere cum pri-

uatione præexistente, quæ eodem modo eiuincunt nullam talis negationis exigentiam habere posse. Fundamentum desumptum ex dispositionibus firmum non est, quia dispositiones ex secluso contrario, quod per accidens subiecto inest in instanti possunt introduci in materia, & cum forma possit, & petat introduci in eodem instanti temporis, in quo est vltima dispositio in instanti temporis, in quo primo materia producitur possunt produci dispositiones omnes, & possunt educi forma & modus vniocè ex potentia materie.

Ex his inferes rationem mutationis accidentaliter generationi competere, & primas elementorum productiones, in quibus materia cum priuatione non præcessit, esse generationes, etsi ratio mutationis illis non præcessit, de generationibus, quæ modo contingunt vulgo dicitur omnes esse mutationes, excipiendæ tamen sunt generationes, quæ fiunt quando corruptis accidentibus Eucharisticis producitur nouum substantiale compositum, quia tunc in eodem instanti temporis, in quo producitur forma totius, creatur materia, ex qua forma educitur, vel eadem, quæ in consecratione panis fuit annihilata vel alia noua, quod parum refert, quæcumque enim sit non præcessit cum priuatione forme in materia immediatè antecedente ipsius forme priuationem.

Neque in hac re de autoritate Philosophi, qui generationem per mutationem definiuit curandum est, quia deducebat generationem omnem esse mutationem, ex errore, quo turpiter deceptus est censens mundum fuisse ab æterno, & idè consequenter iudicabat ante quilibet generationem materiam præcessisse priuatam forma genita.

Addo quod etiam si generatio essentialiter diceret mutationem accidentaliter importaret esse mutationem totius in totum, quia ad rationem mutationis non requiritur præcessisse totum, sed tantum præcessisse materiam priuatam formâ, quod fieret si materia absque omni forma prius tempore extitisset. Adhucque quando totum præcessit non est de ratione totius geniti destrui totum præcedens, quia etsi permaneret antiqua forma ligni in materia, cui denuo forma ignis vnitur, ignis genitus idè omnino esset, etiam si lignum antiquum permaneret, & materia communis esset forme ignis, & forme ligni. Ex quo inferes illud totius in definitione positum significare materiam accidentalem & extrinsecam toti genito, quæ constitutionem non ingreditur, neque ad illud aliquo modo pertinet, potius definit esse cum primò existit totum genitum. Particulam illam nullo sensibili permanente, explicat Thomistæ qui censent resolutionem fieri vique ad materiam primam de accidentibus sensibilibus totius corrupti, quorum nullum remanere affirmant, cum totum nouum gignitur, verum tamen cum nos censeamus talem resolutionem accidentium neutiquam fieri, prædictam particulam explicamus de toto concreto sensibili, seu composito antiquo, quod non remanet, de quo dixi Controu. 1. punct. 3. in fine.

Essentialem definitionem generationis totius substantialis his claudo: *Productio compositi dependens à subiecto tanquam à causa materiali.* Quod si velis definire non solidam generationem compositi, sed etiam formæ, si hæc distinguitur generatione totius, hanc tibi definitionem confaceat: *Productio substantie dependens à subiecto tanquam à causa materiali.* Verbum productio gerit vices generis: per ly *compositi* prioris definitionis, & *substantie* posterioris excluduntur à priori & posteriori definitione generationes accidentales & à priori generatio formæ si distinguitur à generatione totius per ly *dependens*, &c. excluduntur omnes creationes totius substantialis & cuiusvis partis spectantis ad illud.

Inquirunt hic nonnulli an productio formæ sit propria generatio, quibus respondeo productionem formæ dependentem à subiecto esse propriam generationem formæ, & formam propriè dici genitam. Respectu compositi cum distinctione loquendum est: si ex vi eiusdem actionis producitur forma, & vnio, productio formæ materialiter sumpta propriè est generatio, quia formalis totius generatio consistit in generatione vniocè, ac proinde quælibet productio cum hac identificata realiter erit generatio. Si verò per diuersam actionem producatur forma, & modus vniocè, generatio formæ non dicitur generatio totius, quia sine ista poterit illa existeri, posset enim generari forma, & non produci modus vniocè, quo casu esset generatio formæ, & non esset totum genitum, ac proinde non esset.

esset totius generatio, ex quo inferretur generationem formam tunc existentem non esse totius generationem. Ob eandem rationem affirmo casu, quo forma & vnio per eandem actionem producuntur, talem actionem dici formaliter generationem totius, non quatenus est generatio formae, sed formaliter quatenus est generatio vnionis, quia sicuti ex positione vnionis, & non ex positione formae resultat compositum, & sicuti ex actionibus realiter distinctis, quarum vna determinatur ad formam, & alia ad vnionem, actio illa, quae recipit vnionem, & non illa, quae recipit formam dicitur productio totius: sic quando identificatur productio formae, & productio vnionis, formalitas illa, ex vi cuius actio illa dicitur productio vnionis, & non illa, ex vi cuius est productio formae, dicitur totius productio, & generatio, si actio generatiua sit.

13 Propter rationem supra dictam iure dicitur hominem gigni ex eo praecise, quod gignatur illius vnionis modus, etiam si materia, & forma eiusdem hominis creentur, & ob eandem rationem dicendum videtur compositum creatum, si illius vnionis modus creatur, etiam si eiusdem forma esseteducta; verumtamen dici potest totum esse creatum dicere non esse dependens a materia ratione alicuius constitutiui essentialiter, quia creatum, & independens a subiecto idem sunt, ac proinde totum creatum debet esse independens, & tale non erit totum, cuius forma dependeat a materia, quia eo ipso quod forma dependeat a materia, totum per formam constituitur essentialiter dependens ab eadem materia, quia dependentia formae refunditur in totum, quod implicat existere sine forma, cum qua inadaequate identificatum est, & per quam formaliter constituitur. Ex hac ratione recte redditur disparitas propter quam totum tantum ratione vnionis genita genitum dici possit, & ratione create vnionis non valet dici creatum: ad hoc enim vt totum dependentiam habeat a subiecto, quam dicit generatio, sufficit illam habere quodcumque ex his, quae ad illius constitutionem pertinent, ad hoc vero vt independentia ponatur, quae gaudere debet terminus creatus, necessum est nihil ad illius constitutionem essentialiter pertinens a subiecto dependere.

## PUNCTUM II.

## An generatio ab alteratione distinguatur.

1 Thomistarum sententiam multi non esse putant illam, quam defendunt alii Scholae auctores, vel illi qui ex animo Angelici Doctoris doctrinam reuerentur, illiusque mentem in omnibus sincere assequi affectant, a qua raro grauisimam rationibus ducti, vel nunquam discedunt, tamen in Thomistarum numero non admittuntur, quia Angelicum Doctorem in se ipso & non in quibusdam vetustis, apud quos mentem Angelici Doctoris volunt esse depositam reuerentur. Hac forsitan ratione recentes quidam qui se Thomistas appellant, defendunt generationem ab alteratione non distingui sequitur Caietan. 1. part. quaest. 15. art. 3.

2 Opposita sententia communis est in Scholis, quam defendunt nostri Auctores sequitur D. Thomam multis in locis, praecipue in quaest. de potentia quaest. 3. art. 3. quem huic sententiae patrocinari multis testimoniis efficaciter probat recens quidam intrinsecus Thomista hic quaest. 1. art. 3. Eandem sententiam defendunt Capr. qui delubra Scholae Thomistarum penetrauit in 2. distinct. 3. quaest. 1. art. 3. & alij apud nostros Conimbr. lib. 1. cap. 2. quaest. 12. art. 3. Assentior huic sententiae, quam efficaciter probo: Generatio non identificatur cum alteratione, quae fuit in instanti praecedenti generationem; non cum illa quae est in eodem generationis instanti: ergo cum nulla. Non identificari cum alteratione praecedenti probo: Alteratio praecedens existebat generatione non existente: ergo alteratio illa, & generatio distinguuntur, separatio enim evidens signum est distinctionis. Secundum in Thomistarum sententia alteratio illa tota constringitur in instanti, in quo existit generatio: ergo non potest identificari cum generatione, implicat enim ex duabus actionibus realiter identificatis vniam definire esse, & aliam existere in eodem instanti temporis. Generationem non identificari cum alteratione, quae est in instanti generationis sic probo. In nostra sententia, quae asserit in generatione permanere

accidentia, quae immediate antea praecesserant, alteratio, quae est in instanti generationis, praecesserat secundum maiorem sui partem, & tamen non praecesserat generatio: ergo generatio non identificatur cum tota alteratione, quae praecesserat: ergo si cum aliqua alteratione potest identificari est cum alteratione, quae tunc fit, quae est vltimum complementum dispositionis ad formam genitam: verbi gratia, cum productione sexti gradus caloris, si vltima dispositio ad formam est calor, vt lex, sed productio illius vltimi gradus, & productio aliorum praecedentium sunt eiusdem speciei: ergo si productio primorum graduum non est productio substantiae, vt vere non est, neque productio vltimi gradus erit productio substantiae, neque illius generatio. Secundum in Thomistarum sententia dispositiones ad formam recipiuntur in toto: ergo si per eandem actionem producuntur dispositiones, & producitur forma, forma recipietur in toto composito, & totum compositum, & non materia se habebit vt causa materialis formae. Probo consequentiam: Eatenus dependet terminus actionis ab aliquo principio, quatenus actio procedit immediate, & per se ipsam ab illo, neque aliud est formaliter hunc calorem dependere ab igne tanquam a principio actiuo, & ab hoc ligno tanquam a principio passiuo, quam hanc causalitatem, seu actionem per quam ignis ponitur extra causas procedere immediate tanquam a principio actiuo ab hoc igne, & tanquam a principio passiuo ab hoc ligno: ergo ab illis principiis dependebit forma, a quibus dependet causalitas, ex vi cuius ponitur extra causas: ergo si ex vi alterationis ponitur extra causas ab illis dependebit, a quibus alteratio dependet: sed alteratio dependet a toto tanquam a causa materiali: ergo forma dependet ab eodem toto tanquam a causa materiali.

3 Respondebis alterationem recipi in toto composito formaliter quatenus est productio qualitatis, non vero quatenus est productio formae. Contra: productio qualitatis, & productio formae substantialis vel distinguuntur realiter, vel tantum formaliter, & per rationem: si distinguuntur realiter, alteratio, quae est productio qualitatis distinguetur a generatione, quae est productio formae substantialis. Si per rationem tantum distinguuntur, implicat physice, & realiter non eodem modo vtramque dependere, sicuti implicat dependere ab hoc principio praedicatum rationalis, & non ab eodem dependere praedicatum animalis cum illo identificatum, distinctio enim rationis, & fictitia conducere nequit, vt aliquid physice conueniat alicui extremo per rationem distincto, & realiter identificato, quod non conueniat alij eodem omnino modo. Secundum respondebis formam substantialem non dependere a toto composito, etiam si dependeat ab illo alteratio, ex vi cuius producitur, quia implicat dependere ab illo: qualitatem vero per eandem actionem productam dependere a toto, quia capax est habendi hanc dependentiam. Solutionem hanc in simili reieci lib. 3. Physic. Controuers. 13. puncto 3. vbi probaui non posse creationem recipi in Angelo tanquam in principio materiali, quia Angelus esset principium materiale sui ipsius, sicuti si ego essem principium actiuum actionis, ex vi cuius producitur, me ipsum producerem, & ideo si repugnat me produci a me ipso, repugnat meam actionem productiuam a me efficienter procedere. Sic similiter fateor repugnare formam recipi in toto composito, quia reciperetur in se ipsa, & quia totum constitutum per formam supponeretur ad ipsam formam, quae manifestam inuolunt implicationem, vetumtamen ad haec absurda reducuntur, qui affirmant alterationem produci per eandem actionem, per quam forma producitur.

4 Eandem sententiam ex principiis ab omnibus admissis manifeste euerto. Alteratio disponit materiam ad formam recipiendam, & per terminum alterationis est materia disposita ad formam recipiendam: ergo terminus alterationis est formaliter dispositio ad formam substantialem, seu ad illius generationem: ergo generatio distinguitur ab alteratione. Probo consequentiam: Nulla qualitas disponit formaliter ad actionem, ex vi cuius producitur, alias disponderet ad se ipsam in subiecto recipiendam: sed qualitas disponit ad actionem, per quam producitur forma substantialis: ergo actio, per quam producitur forma substantialis distinguitur ab actione, per quam producitur qualitas disponens: ergo generatio, quae est productio formae substantialis distinguitur ab alteratione, quae est productio qualitatis. Neque potes dicere qualitatem disponere

ad formam substantialem, & non ad actionem, per quam producit talis forma, quia dispositio, quæ est in subiecto non est ad formam secundum se, sed ad formam ut existentem in subiecto disposito, & ut receptam in illo: ergo ad ipsam formam receptionem. Rursus dispositio determinat productionem formæ substantialis, & est prior illa: ergo dispositio supponitur ad productionem formæ substantialis: sed non supponitur ad productionem sui ipsius: ergo productio formæ substantialis distinguitur à productione qualitatis: ergo generatio ab alteratione. Vltimò in omnium sententia postquam iam producta est vltima dispositio potest Deus suspendere concursum, & non ponere formam genitam: ergo generatio formæ distinguitur ab alteratione. Probo consequentiam: Generatio non potest esse adhuc de potentia Dei absoluta sine forma genita, sed alteratio potest esse sine forma genita: ergo alteratio non est generatio.

5 Hæc argumenta ita vexant patronos oppositæ sententiæ ut illis fixum aliquem modum illam defendendi non permittant, ideò in varios dicendi modos distrahantur. Afferunt plerique ex recentioribus formam genitam non fieri per aliquam actionem, neque identificatam, neque distinctam ab alteratione, sed procedere postea alteratione, per quamdam naturalem resultantiam, seu simplicem emanationem, & in hoc sensu verum esse alterationem non identificari adæquatè cum generatione, quia generatio dicit alterationem, & simplicem illam emanationem, quarum cum alteratio sit actio, & non simplex emanatio, verum est dicere actionem generatiuam, hoc est inclusam in generatione, non distingui ab alteratione, quia generatio nullam dicit actionem distinctam ab alteratione, licet præter alterationem dicat simplicem emanationem, quæ formaliter non est actio. Alij ut religiosius defendant alterationem non distingui à generatione, afferunt alterationem addere ad rationem generationis emanationem illam non tanquam quid pertinens ad rationem formalem generationis, sed tanquam terminum, quo posito alteratio incipit per se ipsam esse generationem, & exercere munus generationis.

6 Multa in hac doctrina inuoluuntur valde difficilia, quæ multis impugnarem, si non illa proprio difficultatis pondere iam inspicerem corruentia. Nonnulla euoluunt, ut illorum difficultas appareat. In primis falsum est positum dispositionibus formam substantialem non per actionem distinctam, sed per emanationem ab ipsa indistinctam resultantem, quod sic probo: forma hæc necessariò dependet physicè tanquam à vera causa physicè influente ab aliquo principio effectiuo, quo posito inquiri, an dependeat tantum à dispositionibus vel ab alio principio: si tantum dependet à dispositionibus per hanc simplicem emanationem à se indistinctam sequitur, per suammet entitatem habere dependere ab his dispositionibus: ergo implicat non dependere ab illis: ergo implicat formam hanc produci, neque existere sine his dispositionibus: Consequens est falsum: ergo & antecedens. Consequentiam probo. Quidquid entitati conuenit per se ipsam absque alio superaddito non potest ab illa separari: ergo si formæ conuenit per se ipsam dependere physicè à dispositionibus tanquam à principio physico per se influente, non potest non ab illis dependere, sicuti non potest actio non dependere à suo principio effectiuo, neque effectus identificatus cum actione per se ipsam à principio effectiuo procedente à tali principio aliquando non dependere. Dices doctrinam hanc esse veram de his, quæ procedunt per actionem, non verò de his, quæ per simplicem emanationem procedunt: sed nihil ad rem, quia omnis simplex emanatio ut postea dicam est vera actio, deinde quia ratio prædicta eodem modo probat de actione, & de simplici emanatione. Si dependet ab alio principio distincto à dispositionibus siue creato, siue à Deo non solum ut causa prima sed specialiter influente in formam, probo dependere ab illo media causalitate distincta à dispositionibus, & distincta ab ipsa forma. Id per quod principium effectiuum formaliter constituitur efficiens terminum, & nihil aliud ab hoc distinctum est causalitas, ex vi cuius terminus efficitur: sed principium effectiuum formæ non constituitur formaliter efficiens formam per dispositiones: ergo dispositiones non sunt causalitas, ex vi cuius forma efficitur. Maiorem admittunt omnes: Minorem probo. Positis dispositionibus potest de potentia absoluta principium formæ effectiuum

non efficere formam: nullus enim negat posita vltima dispositione posse Deum non producere formam: ergo non constituitur formaliter efficiens per dispositiones, quia implicat existere principium effectiuum, & id per quod formaliter constituitur efficiens, & non constitui formaliter efficiens. Dices dispositiones exercere munus causalitatis, & actionis posito termino tanquam connotato. Milles contra hæc connotata argumentatus sum, mitto sæpè rationem repetitam ex identitate formæ posito hoc vel illo connotato, quæ semper eadem præstabit semper eandem effectum, quem præstat per se ipsam, & specialem aliam contra hanc materiam adduco: ut dispositiones exerceant munus actionis debent supponere terminum existentem: ergo productum, ad quid ergo posita actum agent & veniet actio, quando terminus illius effectus est Formam dependere per causalitatem superadditam à principio effectiuo sic probo: forma materialis indifferens est ut dependeat per causalitatem, quæ sit creatio, vel per causalitatem, quæ sit generatio: ergo neutra identificatur cum forma, siquidem quælibet illarum per se sumpta potest à forma separari. Rursus forma materialis indifferens est, ut dependat ab hac vel ab illa materia: ergo dependet à materia per causalitatem superadditam: sed per eandem causalitatem dependet à materia, & à causa effectiuo: ergo dependet ab utraque per causalitatem superadditam. Vltimò, productionem formæ non esse simplicem emanationem, quia est actio transiens, & quia supponit præter principium actuum, & passuum dispositiones ex parte subiecti, constat ex his quæ dicam Controverf. 2. de anima puncto 2. ubi conceptum simplicis emanationis explicabo, & statum simul contra hunc dicendi modum simplicem emanationem esse veram actionem, quod faciliè euincitur, ex eo, quod est id, per quod formaliter principium effectiuum efficiens constituitur.

Ex his constat formam (idem dico de modo vnionis) 7 produci media causalitate superaddita distincta à dispositionibus, ex vi cuius formaliter est producta dependente à materia, & formaliter genita, quia generatio nihil aliud est, quam productio termini, ex vi talis productionis à materia dependentis.

Si velimus argumenta oppositæ sententiæ dissoluere, 8 neque vnum inuenimus, quod vel leuem nobis ingerat difficultatem. Obiiciunt Thomistæ inferri ex eo quod generatio sit distincta ab alteratione substantiam esse immediatè operatiuam, vel substantiam operari interuentur accidentium. Respondeo hoc vltimum defendere plurimos Thomistas, primum nos cum aliis plurimis tradidisse in Physicis. Mitto in omnium opinione assignandum esse principium effectiuum formæ genitæ de quo est eadem difficultas, ac de principio generationis superadditæ.

Obiiciunt secundò. Si datur generatio ab alteratione 9 distincta illius subiectum debet esse materia prima, sed materia prima non potest esse subiectum generationis: ergo non potest dari generatio ab alteratione distincta. Minorem probant. Si datur generatio distincta ab alteratione, necessariò est accidens, sed accidens debet subiectari in singulari per se existente: ergo non potest subiectari in materia prima, quæ non est singulare per se existens. Respondeo, materiam primam esse substantiam singularem per se existentem, capacem sustentandi non solum accidentia, verum illam ipsam formam substantialem.

Obiiciunt tertio. Aristotelem dixisse generationem 10 esse terminum extrinsecum alterationis. Respondeo hoc asserto tantum intendisse Aristotelem significare generationem esse actionem quamdam quæ naturaliter alterationem consequitur.

Obiiciunt quarto. Sequi ex eo quod generatio distin- 11 guatur ab alteratione, generationem esse mutationem, quod est contra Aristotelem, qui dixit omnem motum esse successiuum. Respondeo Aristotelem definiisse generationem per mutationem, tantum abest, ut contra illum mentem sit asserere generationem esse mutationem. Cùm verò dixit omnem motum esse successiuum, distinguebat motum propriè dictum à mutatione, ut multi affirmant, vel per modum vnus motus reputabat generationem, & alterationes, quæ ad illam ordinantur, ut Patres Conimb. affirmant.

PUNCTUM III.

*Qua actiones intercedant in generatione substantiali.*

**A**D omnem generationem substantialem supponitur prius natura materia existens, e cuius potentia educitur forma, & modus vnionis compositi geniti, vel saltē modus vnionis, si forma creetur vt contingit in homine. Cumque materia prima non possit supponi existens, quin ad illam supponatur id ex vi cuius extra causas fuit posita, necessum est ad omnem generationem supponi actionem, ex vi cuius creatur. Præcedit etiam generationem alteratio, ex vi cuius materia disponitur ad formam & vnionem. Intercedit etiam productio formæ substantialis tanquam quid præsuppositum ad generationem, si forma supponatur producta, ad vnionis productionem: vel tanquam actio, in qua consistit generatio, si eadem sit actio, per quam producitur forma, & modus vnionis. Vltimò reperitur productio modi vnionis, in qua formaliter generationem consistere dixi puncto 1. ad finem. Omitto productionem subsistentis pertinentis ad constitutionem suppositi, quæ licet requiratur vt sit homo, qui non solum naturam, sed subsistentiam importat, & consequenter vt sit homo genitus, nihilominus non spectat ad generationem naturæ de qua in presenti cum Aristotele disputamus. Ex his productionibus productionem materiæ à reliquis distingui per se notum est, quia cum materia supponatur prius natura vnionibus & formis eductis necessariò debet per diuersam actionem produci, non enim est prius aliò, quod simul per eandem actionem producitur. Deinde productio materiæ est creatio, & productio vnionis in omnibus compositis genitis, & formæ demptà productione rationalis animi, est eductio, quæ non potest cum creatione identitatem habere, sed necessum est has actiones distingui. Animam rationalem, & materiam non creari per eandem actionem certum est, quia materia prius tempore fuit creata, quàm anima, & quia materia, & anima loco distat conferuantur, quod fieri non potest si dependenter à principio effectiuo per eandem actionem. Alterationem distinctam esse actionem à productione formæ & modi vnionis latè probauit puncto precedenti & non identificari cum creatione materiæ per se notum est. Vnionem, & formam hominis non produci ex vi eiusdem actionis admittunt omnes, quia forma creatur & vnio educitur. Tota huius puncti difficultas est an in compositis quorù forma materialis est, & educta, forma, & vnio ex vi eiusdem actionis, vel forma ex vi vnionis, & vnio ex vi alterius producatur, quam breuiter desinio.

**P.** Soar in Metaph. disp. 15. section. 4. num. 3. & disp. 48. sect. 3. num. 1. docet formam, & vnionem fieri per eandem actionem: subscripti P. Rub. hic tract. 1. quest. 3. n. 39. sed respicit lib. 2. de anima tract. de Potentis q. 4. num. 64. Arguit vterque: forma materialis producitur cum dependentia à materia, & inherens materiæ, & in materia existens. Sed forma dependet à materia, inheret materiæ, & in materia existit per vnionem: ergo per eandem actionem productiuam formæ producitur modus vnionis, per quem forma fit in materia, materiæ inheret, & ab illa dependet. Confirmatur: per eandem actionem, per quam producitur forma in materia fit compositum, quia compositum nihil aliud est, quam partes vnite: ergo per eandem actionem fit vnio, ex qua resultat compositum. Millies in 1. & 2. lib. Physic. notauit distinctionem, quæ est inter inherentiam, seu passionem, per quam forma est in materia tanquam in subiecto, à quo educitur, & à quo dependet tanquam à causa materiali, & vnionem seu informationem, per quam forma vnitur materiæ, & cum illa componit totum, eandemque tanquam subiectū informationis respicit eo modo, quo anima rationalis materiam respicit, à qua non dependet, quia licet forma materialis dependentiam habeat à subiecto, quia caret animus rationalis, hanc non habet ex vi vnionis, sed ex vi actionis per quam producitur, poterat enim eandem numero vnionem terminare, & esse omnino independens, si per aliam actionem creatiuam produceretur. Ex his respondeo formam materialem ex vi actionis, per quam producitur esse in materia tanquam in subiecto inherens, & dependere à materia, non tamen esse vnitam, neque componētem

totum, quia hoc habet per vnionem distinctam ab actione, ex vi cuius forma est vnita formaliter totum componens, & materiam respiciens tanquam subiectum informationis. Neque forma est in materia tanquam in subiecto inherens, aut materiæ inheret, & ab illo dependet ex vi actionis, quia producitur, quia per illam producatur modus inherendi, seu dependendi, sed quia formaliter ipsamet actio est dependentia, & inherens, per quam formaliter forma inheret, atque dependet. Vnde actio, per quam producitur forma inherens, seu dependens à materia non respicit ex parte termini dependentiam, seu inherentiam, sed formam secundum se quam formaliter per eademmet actionis entitatem constituit dependentem & inherentē.

Arguit rursus P. Soar. terminus creationis & terminus generationis distinguuntur: ergo ex eo quod creatio terminatur ad formam vt distinctam ab vnione, seu dependentiā, & generatio ad formam dependentem, seu vnitam per modum, ex vi cuius componit compositum, & dependet à materia. Respondeo generationem, & creationem non distingui formaliter ex parte termini producti, sed ex modo, quo terminus ille producitur, & ex subiecto, ad quem dicit ordinē generatio, quem non dicit creatio, quæ secundum se independens est à subiecto, & formaliter terminum independentem constituit. Patet hoc in creatione, quæ formaliter constituit terminum, quem respicit independentem à subiecto, etiam si ex parte termini dependentiam non respiciat: ergo eadem ratione generatio, seu eductio terminum constituet dependentem à subiecto, etiam si ex parte termini dependentiam non respiciat. Ratio à priori desumpta perspicua est: Eo ipso, quod causalitas, ex vi cuius entitas ponitur extra causas dependet ab aliquo principio quacumque alia dependentia seclusa terminus per talem causalitatem productus dependet ab eodem principio, quia implicat rem factam non dependere ab illo, à quo illius fieri dependet: sed eductio per se ipsam dependet à subiecto: ergo ex vi eductionis quacumque alia dependentia seclusa terminus eductus dependet à subiecto. Eadem ratione probatur creationem per se ipsam constituisse terminum creatum existentē absque aliqua dependentia, quia eo ipso quod causalitas existit sine dependentia ab aliquo principio terminus ex vi illius productus valet existere absque dependentia ab illo principio, à quo illius causalitas nō dependet, illa enim quæ sufficiunt ad fieri rei, sufficiunt vt sit res facta, sed creatio, quæ est causalitas, ex vi cuius existit terminus creatus existit absque eo quod dependeat à subiecto: ergo constituit terminum positiuē existentem sine dependentia à subiecto.

Formam, & vnionem produci per actiones diuersas defendunt Dur. in 2. dist. 1. quest. 5. ad vltimum. P. Rub. supra, P. Hurt. disp. 1. sect. 1. idem tenentur defendere P. Valquez qui affirmat vnionem subiectari in forma, & Arriaga, qui asserit vnionem subiectari in materia, & forma, quos retuli lib. 1. Physic. Controuersia 4. puncto 3. num. 1. & omnes, qui defendunt vnionem subiectari adæquatè, vel inadæquatè in forma, quapropter si sentiat P. Soar. vnionem in forma subiectari, quod non leuiter insinuat, vt dicebam puncto 3. num. 1. nuper citato, difficile poterit illius sententia defendi, implicat enim subiectum, & formam ex illo eductam per eandem actionem produci, quia productio subiecti essentialiter supponitur ad productionem formæ, & quia illa, quæ per eandem actionem producuntur eandem dependentiam habent, & ita ex duobus per simplicem actionem productis implicat vnum dependere ab alio, à quo alterum non dependet, & cum forma, non dependeat à se ipsa, implicabit vnionem simul cum forma per eandem actionem productam à forma dependere. Probant nonnulli iuxta omnes sententias formam & vnionem non produci per eandem actionem, quia prius est formam produci & posterius vniri subiecto, & hæc causalitas est vera: quia producitur forma, producitur vnio, & hæc est falsa: producitur vnio, quia producitur forma. Non vrget hæc ratio, facile enim dici potest formam non esse naturā priorem vnione ex vi actionis per quam de facto producuntur forma, & vnio, & hanc propositionem: ideò producitur vnio quia producitur forma, non esse veram rebus, vt nunc existentibus. Consultò dixi, ex vi causalitatis, per quam de facto existunt, quia ex vi aliarum actionum productio formæ, & ipsa forma possunt non dependere à modo vnionis, neque ab illius productione,

productione, productio tamen vnionis, & ipse vnionis modus non possunt non esse connexa cum productione formæ, & cum ipsa forma, siue per dependentiam, siue per identitatem productionum, quia modus vnionis independenter ab omni causalitate per se ipsum dependet à forma, & ita supponit productionem formæ, vel identitatem cum productione sui ipsius, vel distinctam. Vnde si producantur per eandem actionem forma, & vnio, vnio supponet illam actionem non solum vt productionem vnionis, sed etiam vt productionem formæ, & in hoc sensu poterit dici modus vnionis posterior forma, et si per eandem actionem producat, quia esse modum posteriorem formæ, & esse dependentem ab illa formaliter sunt idem, & cum vnio per suam entitatem sit dependens à forma, per suam entitatem est ille posterior, licet actio productiua vnionis non sit posterior actione productiua formæ, quia eademmet indiuisibilis actio est productio vtriusque termini. De forma, alia ratione philosophandum est, quia cum ipsa per suam entitatem non dependeat ab vnione, si per eandem actionem producat, supponit actionem productiuam formæ, & vnionis tantum vt productiuam ipsius formæ, non vt productiuam modi vnionis, si verò per diuersas actiones producat, productio formæ non supponet productionem vnionis. Ex his inferes dici non posse, quia producat forma, producat vnio, si forma, & vnio per eandem actionem producantur, quia vbi tantum est simplex actio, non potest inueniri prioritas, & posterioritas actionum. Neque dici poterit in hac suppositione produci vnionem, quia existit forma, quia existentia formæ supponit actionem ex vi cuius producat vnio quatenus eadem cum actione, per quam ipsa producat. Hæc tamen causalis erit vera, quia est forma, est vnio, & in quocumque casu dici potest, forma est prior vnione, & vnio est posterior forma, quia independenter à causalitate superaddita vnio per se ipsam dependet à forma, & est illa posterior.

Defendo posteriorem istam sententiam hac vnica ratione. Vbi termini producti realiter distinguuntur, realiter distinguendæ sunt illorum productiones, si nulla sit ratio quæ suadeat dari productionem vtrique communem: sed forma, & vnio realiter distinguuntur, & nulla est ratio, quæ probet dari productionem vtrique communem: ergo illarum productiones distinguendæ sunt. Maior necessarium est ab omnibus admittenda, aliàs nullum caput dari poterit ad distinguendas actiones, si ex terminorum distinctione illarum distinctio non desumitur. Priorem partem minoris videlicet formam, & vnionem distingui, est suppositum questionis: posteriorem videlicet nullam esse rationem ad asserendum dari productionem communem formæ, & vnioni, & suadent solutiones adhibita rationibus quæ identitatem productionis vtriusque termini propugnabant. Consequentia est legitima. Neque contra conclusionem traditam rationem aliquam solutione dignam inuenio.

## PUNCTUM IV.

*De termino generationis.*

TERMINUM totalem generationis esse totum compositum genitum admittunt omnes: de termino formalis in re leui grauis contentio inter graues Theologos suborta est, qui multum decertant in assignanda natura termini formalis, ita æternæ generationi, incarnationi Verbi, & conuersioni panis in corpus Christi diuersos formales terminos auctores assignant. Impraesentiarum meo tantum interest assignare terminum generationis creatæ, de qua disputo, verum tamen id præstare non potero, si prius non definio, quid sit formalis terminus, quamve formalitatem importet terminus formalis, ex vi cuius talis formaliter constituatur. Hac questione dirempta nulla poterit esse difficultas in dirimendis questionibus supra recensitis, in quibus dissident Theologi, tota enim illorum dissensio est sita in assignanda natura termini formalis, in qua assignanda si omnes conuenissent, nulla prorsus inter ipsos esset discouenientia in assignando formali termino generationi Verbi, eiusdem incarnationi, & conuersioni Eucharistica. Dicendum ergo nobis est quid sit formalis terminus, & ex conclusione tradita in hac quæ-

sione facile erit illam dirimere, quæ ad nostrum spectat institutum de termino formali generationis creatæ, & alias, in quibus Theologi concertant.

P. Vaquez Thomitas sequitur part. 3. tom. 1. disput. 19. cap. 2. asserit terminum formalem esse formam termini totalis, et si hac producta non sit ex vi actionis, cui terminus adscribitur. Consentunt Conimbric. lib. 1. de Generatione. cap. 4. quæst. 15. concl. 3. id probant ex Aristotele, qui docuit generationem esse viam ad naturam, hoc est, ad formam, & illam appellauit mutationem à priuatione formæ ad ipsam formam, quibus verbis tanquam terminum illius formam designauit.

Terminum formalem cuiusvis actionis esse illum, qui ex vi talis actionis producat, docent Aur. apud Capreol. relatum à P. Vaquez, Durand. in 3. dist. 5. quæst. 2. num. 5. P. Soar tom. 1. in 3. part. dist. 8. sect. 3. S. in hoc nihil potest, P. Hurt. in Physic. disp. 11. sect. 5. Ex his auctoribus, qui asserunt formam materialem, & vnionem produci per eandem actionem in compositis, cuius forma materialis est, assignabunt tanquam terminum formalem generationis formam, & vnionem, & in homine tantum vnionem, illi verò, qui defendunt per actionem generatiuam in quocumque composito tantum vnionem produci, defendunt hanc tantum esse terminum formalem generationis. Mouentur hi auctores, quia productio formaliter est ad id, quod per se attingit, & cuius est productio, sed tantum attingit per se id, quod ex vi illius est productum: ergo id tantum est illius formalis terminus. Hac ratione concludit Hurtadus terminum formalem generationis esse vnionem, quæ tantum ex vi generationis producat, quam conclusionem eidem principio innitens item probat: in homine vnio tantum tanquam terminus generationis denominat totum hominem genitum, & quia ipsa terminet per se ipsam actionem generatiuam totum compositum ab ipsa genita genitum denominatur: ergo per vnionem tanquam per terminum genitum totum compositum genitum dicitur: ergo vnio est, quæ primario, & per se genita dicitur, & hanc denominationem tribuit composito: ergo vnio est, quæ primario, & per se generationem terminat. Tota hæc doctrina clarius in homine videtur, cuius materia, & forma creantur, & totus homo genitus denominatur tantum ratione vnionis terminantis generationem, quia totum nullam aliam actionem terminat, præter illas, quæ terminat ratione partium, & vnionis quibus constituitur, sed materia, & forma terminant actiones creatiuas: ergo tantum dicitur genitus, quia vnio terminat actionem generatiuam. Quod si in aliis compositis forma educatur, seu gignatur ex materia prima, cum huius generatio si distinguatur à generatione vnionis, non sit generatio totius vt dicebam punct. 1. non necessario & per se loquendo totum genitum denominat, quia potest dari generatio formæ quin detur totum existens, si ipsa forma genita materia non vnietur, si tamen detur compositum, cuius vnio creetur, & forma gignatur forsan generatio formæ poterit quando coniungitur cum creatione vnionis, & totum est constitutum, illud denominare genitum, si verum est in illo casu totum genitum, & non creatum esse dicendum, de quo dixi punct. 1. n. 13.

In quæstione apud plerosque de nomine ad rem satis loquutus est P. Lugo (cuius præcellens ingenij claritas adhuc in leuioribus euoluendis mirè effulget) tom. de Incar. disp. 11. sect. 2. qui rectè docet non posse vniuersaliter dici terminum formalem esse formam termini totalis. Quia aliquando terminum formalem appellamus id, quod proculdubio non est forma termini totalis. Exemplum aptum adducit in transubstantiatione Eucharistica, in qua terminus à quo totalis est substantia panis cum suis accidentibus, & terminus totalis ad quem est corpus Christi sub speciebus panis; terminus verò formalis à quo est substantia panis, quæ definit esse, & terminus formalis ad quem est corpus Christi, quod ponitur de nouo sub speciebus panis & tamen nullus dicit corpus Christi esse formam termini totalis illius videlicet concreti, quod resultat ex vnione corporis Christi ad accidentia panis, potius, si fas est dici, corpus Christi se habet in situ materia accidenti, quia succedit loco substantiæ panis, quæ erat illorum materia, & accidentia panis se habent in situ formæ illius concreti & tamen nullus dixit hæc accidentia esse terminum formalem transubstantiationis, seu conuersionis Eucharistica: ergo terminus formalis non est id, quod est forma, vel in situ se habet

se habet termini totalis. Clarius res cernitur in termino à quo huius conuersionis in qua terminus à quo totalis est substantia panis cum suis accidentibus, & terminus à quo formalis est substantia panis, quæ definit esse, sed substantia panis non erat forma, sed materia termini à quo totalis, quia erat subiectum accidentium informantium ipsam panis substantiam: ergo non semper terminus formalis est forma termini totalis.

Docet insuper idem P. Lugo & bene satis terminum formalem esse illud, cui proprie, & immediatè applicatur mutatio illa, de qua loquimur, & ratione cuius reliqua denominantur ab illa mutatione. Idè clarius terminus formalis est ille, cui primariò, & per se applicatur non vt subiecto, sed vt termino denominatio viæ, respectu cuius terminus inquiritur, & ratione cuius reliqua, quæ in termino totali includuntur denominationem illiã participant. Sic cum videmus parietem album dicimus hoc concretum *paries albus* esse terminum totalem visionis, in quo duo reperimus, albedinem, & parietem, paries visus dicitur quia videtur color, non color quia videtur paries. Hinc colorem terminum formalem visionis appellamus. Dixi supra terminum formalem esse illum, cui tribuitur denominatio viæ tanquam termino, & non tanquam subiecto, quia non oportet denominari terminum eodem nomine, quod significatur viæ, cuius est terminus, mutatio enim non denominat terminum mutatum, neque conuersio conuersum, hæc potius denominationes subiecta quæ terminos respiciunt, terminus enim mutationis est id, in quod tendit mutatio, cuius denominationi simplex nomen non est impositum, sicuti non est impositum nomen ad significandam denominationem, quæ accipit à conuersione id, in quod conuersio tendit. Ratio doctrinæ traditæ perspicua est: forma dicitur, quæ dat esse rei in ratione talis vt distincta ab aliis eiusdè speciei; idèd terminus formalis dicitur, qui transfundit, & dat denominationem composito, quom recipit immediatè ex ipsa viæ, cuius est terminus. Ad quod attendi non debet an sit forma an materia termini totalis. Sic cõtingit in principio formalis actiuo, seu passiuo, quod non dicimus esse formam principij totalis, sed illud, cui immediatè competit illa denominatio agentis, sæpe enim materiam principij totalis formale principium actionis, seu passionis esse dicimus. Exempla sunt obuia: totum compositum dicimus esse principium totale receptiuum operationum, & accidentium principium formale passiuum materiam appellamus, ratione cuius totum compositum accidentia recipere dicitur. Similiter dicimus hominem esse principium totale quantitatis quam in se continet, & intellectiuum, quibus se exercet. Et principium actiuum formale quantitatis materiam esse dicimus, & formam appellamus principium actiuum intellectiuum: ergo sicuti principia actiua, & passiuia formalia non desumuntur ex eo, quod sint forma, vel materia termini totalis, sic terminus formalis desumendus non est ex eo quod sit forma termini totalis, sed ex eo, quod termino totali det denominationem illam, quam desumit à viæ, seu respectu, quem terminat, & ratione cuius compositum denominatur tale.

Ex his rectè concludit P. Lugo: Generationem duplicem formalem terminum habere quatenus sub duplici respectu, seu formalitate potest generatio concipi, & significari. Generatio enim potest concipi quatenus est productio, & quatenus est inductio formæ in materiam, omnis enim generatio creata essentialiter inducit formam in materiam, & materia formam communicat tanquam subiecto informationis respectu eiusdem formæ. Generatio, vt productio est, respicit tanquam terminum formalem vnionem, quæ ex vi illius existit, & primò denominatur producta & ratione illius totum compositum denominatur productum ab illo principio, quod produxit vnionem. Ex eo enim quod mea vnio efficietur à meo parente processit, totus ego dicor ab illo procedens, & ab illo productus. & ita denominationem hanc producti à parente habeo ab vnione, & formaliter ab illo fuit producta & denominationem hanc mihi toti composito est impertita, sicuti albedo tribuit denominationem visi toti parieti, qui visus dicitur, & ita sicuti albedo est terminus formalis visionis, ita visio est terminus totalis generationis quatenus generatio productio est. Generatio vt inductio est respicit tanquam terminum formalem formam termini totalis, seu geniti, non ipsam vnionem, quia per generationem non dicitur vnio inducta in materiam, sed forma est, quæ forma-

liter inducitur, & denominatur inducta, & quæ terminat rationem formalem inductionis actiue imbibite in generatione. Sic etiam forma dicitur communicata materiæ tanquam subiecto siue inhesionis, & informationis, siue informationis tantum, & hac ratione terminus formalis est generationis vt est actiua communicatio formæ subiecto. Ex his terminus formalis resurrectionis assignandus est, si enim resurrectio sumatur quatenus est reproductio, illius terminus formalis erit vnio, quæ ex vi illius iterum producit. Si sumatur resurrectio quatenus est reinductio, illius terminus formalis erit forma, quæ iterum inducitur: & sic similiter si sumatur quatenus est recommunicatio, illius formalis terminus erit forma, quæ iterum communicatur. Si resurrectio sumatur quatenus est reuiuificatio, illius formalis terminus non erit illud, quod viuificatum dicitur, quia viuificatio non respicit tanquam terminum viuificatum, hoc enim potius est subiectum, sed terminus erit ipsa vita, seu anima, quia viuificatio est assumptio vitæ, & ita viuificatio erit reassumptio vitæ, illiusque terminus erit vita quæ denominatur reassumpta, videlicet anima, quæ vita assumpta dicitur in prima hominis generatione, & reassumpta in resurrectione.

In hanc doctrinam incidisse videtur Mag. Aul. tract. 4. de Trin. qui rectè dixit generationem diuinam vt productionem respicere tanquam terminum formalem personalitatem Verbi productam, & vt communicationem naturam, seu intellectiõnem cõmunem Verbo communicatam, quæ optimè consonant doctrinæ traditæ. Addit generationem Verbi formaliter vt processionem tantum respicere naturam communem, quam interdit Pater Filio communicare, & idem docet de processione Spiritus sancti, cui Pater, & Filius intendunt eandem communicare naturam. Hanc vltimam partem existimo non rectè cohærere cum præcedentibus, quia generatio Verbi vt generatio est adequatè sumpta includit productionem personalitatis, & communicationem naturæ: ergo si vt productio respicit tanquam terminum formalem Verbi personalitatem & vt communicatio naturam communem, vt generatio vtrumque terminum formalem respiciet. Huic etiam doctrinæ rectè consonant rationes, quas adduximus pro sententia Patris Suarez & fundamentum, quo affirmat P. Valquez naturam esse terminum formalem incarnationis, quia id, quod intendebatur per incarnationem est Deum fieri hominem, seu naturam humanam assumi à Verbo, quod probat terminum formalem incarnationis quatenus est assumptio naturæ, esse naturam assumptam, quod ex doctrina tradita optimè deducitur. Neque contra id, quod de termino formali in communi, neque in hac singulari materia de Generatione tradidimus ex sententia opposita potest quidquam obici, quod mediocrem difficultatem generet.

Ex his pro alijs materijs terminus formalis cuiusque actionis facillè assignabitur, conuersio enim Eucharistica formaliter vt productio est, tanquam terminum formalem respicit vnionem corporis Christi, cum panis accidentibus, quæ formaliter ex vi illius producit, & producta denominatur. Si verò sumatur vt conuersio, terminus formalis illius est corpus Christi, in quod panis conuertitur, quia licet corpus Christi non denominetur conuersum, nihilominus illius terminus existit, quia conuersio non communicat denominationem conuersi, termino ad quem, sicuti productio dat illi denominationem producti, quia denominatio conuersi est propria termini à quo, qui definit esse, vt dicam puncto venturo, n. 7. sicuti denominatio mutati est denominatio, non termini, sed subiecti mutationis & sicuti terminus ad quem mutationis est id, in quod fit mutatio, ita terminus ad quem conuersionis est id, in quod fit conuersio. Similiter incarnatio vt est productio respicit vnionem hypostaticam ex vi illius productam vt docebat P. Soar. si verò significetur vt incarnatio, id est vt assumptio carnis, respicit tanquam formalem terminum naturam humanam nomine carnis significatam, & quam assumpsit Verbum, & quæ assumpta denominatur. Si verò incarnatio consideretur quatenus personatio naturæ humanæ, & via, media quæ Verbum suam personalitatem communicauit humanæ naturæ, illius terminus formalis erit Verbi substantia, quia hæc est quam Verbum naturæ humanæ communicat.

## PUNCTVM V.

## An Generatio sit conuersio?

1 AD hanc quæstionem definiendam scire oportet quid sit substantialis conuersio, quid addit supra generationem, quomodo ab illo distingatur.

## S. I.

## Quid &amp; quotuplex sit conuersio.

2 **C**onuersio definitur ab omnibus Theologis atque Philosophis, *transitus vnus rei in aliam*, sub qua definitione comprehenditur illa, quam de generatione tradidit Aristoteles, videlicet: *mutatio totius in totum*, &c. Latius tamen patet definitio conuersionis, quam definitio generationis ab Aristotele tradita, quia licet omnis mutatio totius in totum sit conuersio, non tamen omnis conuersio est mutatio totius in totum in sensu ab Aristotele tradito, quia ad mutationem ab Aristotele intellectum in generationis definitione requiritur materia prima vt subiectum commune: ad conuersionem verò, etsi aliquid requiratur commune termino *à quo*, & termino *ad quem*, non requiritur hoc commune esse materiam primam, aut aliquid substantiale subiectum. Dicit ergo generatio transitum vnus rei in aliam, qui transitus debet esse inter duos terminos postiuos, quorum vnus sit terminus *à quo*, & alius terminus ad quem: huius importat conuersio positionem sub aliquo communi vtrique termino, & illius definitionem. Itaque duplicem mutationem dicit essentialiter conuersio, quamdam negatiuam, ex vi cuius desinat esse terminus *à quo*, & aliam positiuam, qua denuò ponatur terminus *ad quem*. An verò desitio termini *à quo*, debeat esse secundum substantiam termini, ita vt in rerum natura non permaneat, vel tantum sufficiat desinare esse sub modo aliquo, sub quo antea erat, & positio termini *ad quem*, debeat esse per actionem productiuam termini, vel sufficiat positionem fieri per actionem productiuam alicuius modi, ex vi cuius terminus *ad quem* incipiat existere modo aliquo speciali, quod antea non existeret dicam postea.

3 Requiritur etiam definitionem termini *à quo*, & positionem termini *ad quem* non existere tantum comitanter, sed definitionem inferri ex positione, per repugnantiam specialem, quam habeat terminus *à quo* cum termino *ad quem*. Vnde etiam si in eodem instanti temporis, in quo ponitur lux in subiecto desinat esse album, non dicemus album fuisse conuersum in lucidum, neque fuisse transitum ex albedine in lucem, quia albedo desinat esse ex positione lucis, nullam enim repugnantiam habent lux & albedo in eodem subiecto. Ex hac conditione alia suboritur essentialiter ad conuersionem requisita, videlicet dari aliquod tertium commune termino *à quo*, & termino *ad quem*, in ordine ad quod sit terminorum repugnantia: illa enim quæ repugnant necessariò repugnant in ordine ad aliud, in ordine ad quod vnum aliud expellit, non enim potest dari expulsio, nisi sit expellens, & expulsum, & aliud tertium, *à quo* expellens expellit expulsum. Hoc commune non debere esse subiectum substantiale commune patet in conuersione Eucharistica, in qua tantum remanent accidentia communia termino *à quo*, & termino *ad quem* huius conuersionis.

4 Conuersio cum his requisitis duplex esse potest, physica, & moralis: conuersio physica est quando termini illius physici sunt, & illorum oppositio, & repugnantia in entitate physica fundatur: talis est conuersio, qua conuertitur lignum in ignem, cuius terminus *à quo*, & terminus *ad quem*, videlicet forma ligni, & forma ignis sunt physice entitates, & per se ipsas opponuntur, & quælibet exigit per suam physicam entitatem alterius expulsionem. Verum est has formas in actu secundo non se physice, sed moraliter expellere, vt dicebam Controu. 8. Physic. Punct. 3. & illarum expulsionem dicere aliquid morale, videlicet Deum esse motum ab exigentia vnus ad subtrahendum concursum, quo aliam conseruabat, ex quo inferitur conuersionem essentialiter includentem expulsionem aliquid morale includere: verum tamen hanc conuersionem physicam vocamus, quia expulsio moralis, quam includit, oritur ex physicis entitatibus physice illam exigentibus, quod sufficit vt conuersio physica dicatur, alias nulla posset con-

uersio physica appellari, quia omnis conuersio includit expulsionem, & hæc semper est quid morale. Insuper oportet conuersiones huiusmodi physicas dici, ad illas distinguendas ab aliis conuersionibus, quas appellamus morales, & iam assigno. Conuersio *moralis* est illa, in qua expulsio actualis termini *à quo* ex positione termini *ad quem* non fundatur in physica entitate terminorum. Hoc potest dupliciter contingere, vel quia termini, in quibus veritatur conuersio physici non sunt, sed morales vt cum quis ex inimico in amicum conuertitur, vel quia etsi termini physici sint, tamen non habent oppositionem physicam fundatam præcisè in physicis ipsorum entitatibus, sed in alio extrinseco, ratione cuius moraliter opponuntur. Sic opponi existimat P. Vaq. 3. p. tom. 3. d. sp. 184. c. 3. n. 2. corpus Christi positum sub speciebus panis ex vi verborum, cum substantia panis non præcisè ratione entitatis panis, qui desinit, & corporis Christi, quod ponitur loco illius, sed ratione veritatis verborum, ex vi quorum ponitur corpus Christi sub panis speciebus, quæ veræ non essent, si ibi permaneret substantia panis, ac proinde vt verificentur, requiritur vt eo ipso quod corpus Christi ponatur, desinat esse substantia panis sub illis accidentibus, ex qua exigentia veritatis verborum, accrescit corpori Christi existenti sub illis speciebus quædam moralis repugnantia cum substantia panis existente sub illis speciebus, ratione cuius verum est dicere, quia corpus Christi ponitur sub his speciebus, substantia panis desinit esse sub illis. Non disputo modò de veritate exempli, nec definitio an corpus Christi sub his speciebus physicam, vel moralem repugnantiam habeat cum substantia panis, sed tantum exemplo vt or ad naturam conuersionis moralis explicandam.

Conuersio physica duplex est, substantialis, & accidentalis. Conuersio *accidentalis* est quando termini illius sunt accidentales, vt cum lignum conuertitur ex calido in frigidum. Conuersio *substantialis* dicitur quando illius termini substantiales sunt, vt cum lignum transit in ignem. Rursus conuersio substantialis vulgò in tria membra diuiditur, in conuersionem formalem, materialem, & vnus substantiæ in aliam adæquatam, & totalem. Conuersio *formalis* est transitus vnus forme in aliam sub eadem materia. Conuersio *totalis* est vnus totius in aliud totum. Hæc iterum duplex est vna est totius in totum sub eadem materia vt cum lignum transit in ignem, quæ non distinguitur ad conuersione vnus modi vnionis in alium. Alia est conuersio vnus totius in aliud totum secundum omnia essentialia illius quæ fit sub eisdem tantum accidentibus, & hæc omnium propriissima conuersio & transsubstantiatio dicitur.

6 Circa conuersionem formalem docet P. Soar tom. 3. in 3. p. dist. 50. sect. 2. in fine primi paragraphi, non esse inter formas sed inter concreta, neque vnam formam conuerti in aliam, v.g. albedinem in nigredinem, sed album in nigrum. Consentire videtur huic dicendi modo P. Lugo supra, vbi dicit hanc denominationem conuersi esse denominationem subiecti, & non termini, cumque in his conuersionibus fiat transitus vnus forme in aliam, & vna forma se habeat tanquam terminus *à quo*, & altera tanquam terminus *ad quem*, id quod debet denominari conuertam non debet esse forma, quæ est terminus *à quo*, neque forma, quæ est terminus *ad quem*, sed subiectum, seu terminus *à quo* materialis, videlicet lignum quod inuoluit supra terminum *à quo* formalem illius subiectum, quod comune fit vtrique termino formali *à quo*, & *ad quem*. Idem in mutatione contingit, quæ est transitus à priuatione ad formam, & id, quod mutatum dicitur, non est priuatio, quæ est terminus *à quo*, neque forma, quæ est terminus *ad quem*, sed subiectum vtriusque termini, quod tantum dicitur mutatum. Doctrina hæc in conuersionibus formalibus sustineri posset, verum tamen in conuersione totali vnus substantiæ in aliam, quæ transsubstantiatio dicitur nullatenus sustineri potest, & difficile poterit disparitas assignari in his conuersionibus. Non posse sustineri modum illum dicendi in conuersione vnus substantiæ in aliam sic probò: Terminus formalis *à quo* conuersionis Eucharisticæ, qui desinit esse, est substantia panis secundum se totam: ergo si terminus *à quo*, qui desinit esse non dicitur conuersus, sed tantum purus terminus conuersionis, non poterit dici substantiam panis conuersam esse in corpus Christi, atqui est loquutio totius Ecclesiæ substantiam panis conuerti in corpus Christi: ergo illud quod desinit esse, & quod est terminus

terminus à quo conuersionis dicitur conuerti in terminum ad quem. Respondebis dici conuerti panem in corpus Christi non loquendo de substantia panis secundum se præcisam ab accidentibus, sed de substantia panis accidentibus vestita, quam sic accidentibus affectam vulgò nomine panis intelligimus. Neque ex eo quod negetur substantiam panis vt præcisam ab accidentibus dici conuersam, sed tantum vt illis affectam, videtur sequi aliquid absurdum, quia absolute dicitur panem conuerti in corpus Christi, & in toto rigore defenditur dari conuersionem inter substantiam panis, & corpus Christi, & desinere esse quidquid pertinet ad substantiale constitutum panis, & succedere loco illius corpus Christi sub eisdem panis accidentibus per veram & propriam conuersionem: ergo etiam dicitur non dici conuersam substantiam panis, quæ definit esse secundum se præcisam, sed concretum illud constitutum ex substantia panis, quæ definit, & ex accidentibus, sub quibus existebat nihil dicitur contra id, quod debemus sentire de conuersione Eucharistica; sentio nihilominus & constanter semper defendam dici formaliter conuersam substantiam panis, quæ definit esse secundum præcisam rationem substantiæ, quæ definit esse ex eo quod ponatur corpus Christi, & concretum illud compositum ex substantia quæ definit esse, & ex propriis accidentibus, quæ per conuersionem communia sunt termino ad quem succedenti dici conuersam quasi materialiter ratione substantiæ quæ definit esse, quæ formaliter dicitur conuersa. Huius rei nulla alia fortior ratio potest excogitari præter communem usum loquendi, qui in quæstionibus, quæ tantum sunt de modo loquendi, vim legis obtinet. Omnes enim Patres, atque Doctores asserunt vnã substantiam conuerti in aliam, & accidentia esse id, sub quo fit substantiarum conuersio. Et Concil. Trid. sess. 13, cap. 4. hæc habet: *Quoniam Christus corpus suum id, quod sub speciebus panis offerebat, verè esse dixit, itaè semper in Ecclesia Dei persuasum fuit, idque denud sancta Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in sanguinem eius.* Quibus verbis expendo non dixisse Concilium conuersionem fieri panis in corpus Christi, & vini in sanguinem, sicuti dixit consecrari panem, & vinum, sed fieri conuersionem substantiæ panis & substantiæ vini in corpus & sanguinem Christi, vt significaret id, quod conuertitur & conuersum dicitur, esse substantiam panis, & vini vt distinctam ab accidentibus. Insuper Concilium non tantum dixit fieri conuersionem inter substantiam panis, & corpus Christi, sed fieri conuersionem substantiæ panis in corpus Christi, vt significaret substantiam panis non solum esse terminum conuersionis, sicuti priuatio est terminus mutationis, sed esse id, quod dicitur conuersum, quia in conuersione id, quod est terminus à quo, & quod definit esse dicitur transire in aliud, & in illud conuerti. Id clarè expressit Concil. Florentinum apud P. Soar. sess. 1. S. dico ergo, per hæc verba: *Substantia panis in corpus, substantia vini in sanguinem conuertitur.* Quibus verbis non dixit Concil. conuerti panem, & vinum, sed conuerti substantiam panis, & substantiam vini, quæ formaliter definiunt esse, & non concreta confecta ex substantiis, & accidentibus panis, & vini, quæ tantum dicuntur conuerti ratione substantiarum, quæ formaliter conuertuntur, & quæ transeunt in corpus & sanguinem Christi.

7 Concludo absque omni dubio certissimum esse conuersionem non tantum respicere terminum formalem à quo, vt terminum, qui definit esse, sed vt id, quod denominatur conuersum, & vt subiectum denominationis formalis conuersi. Ad illud quod de mutatione obieciatur, in qua terminus à quo, non dicitur mutatus, sed tantum subiectum, respondeo diuersam esse naturam mutationis subiecti, & conuersionis; mutatio enim est transitus ex termino à quo, in terminum ad quem, non verò termini à quo, in terminum ad quem: generationem enim dicimus esse transitum subiecti ex priuatione in formam, & non dicimus esse transitum priuationis in formam; conuersionem verò appellamus non solum transitum ex vna substantia in aliam, sed vnus substantiæ in aliam, & termini à quo, in terminum ad quem, & ita ex vi illius ipsius terminum à quo, transire dicimus, & conuerti, & conuersum appellamus. In conuersionibus formalibus fateor non esse adeo frequentem usum dicendi vnã formam conuerti in aliam, sed vnã concretum conuerti in aliud, sepe enim dicimus lignum sit ignis, & album sit nigrum, rarò autem, aut numquam for-

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

ma ligni sit forma ignis, aut albedo sit nigredo, quibus loquutionibus innui videtur concretum ex formaliter termino, à quo, & ex illo, quod remanet, & non formalem terminum à quo dici conuersum. Nonnulli recentiores negant conuersiones formales substantiales proprie esse conuersiones, quod probant ex eo, quod vna forma non expellit aliam, sed illam expulsum inuenit ex defectu dispositionum, qui defectus supponitur ad introductionem formæ. Doctrinam hanc impugnavi in *Physicis* Controu. 9. Punct. 3. vbi probavi ex defectu dispositionum formam substantialem non posse corrumpi, & adhuc si hic sufficiens esset, vt corrumpere, corrumpendam esse non solum ex dispositionum defectu, sed propter formam contrariam aduenientem, à qua expelleretur. Secundo in formis accidentalibus, id dici nequit, quia cū dispositiones non habeant, ex quarum defectu corrumuntur, certum est vnã immediatè aliam expellere, in quibus eadem est difficultas, cur non dicatur albedinem conuerti in nigredinem, & dicatur album in nigrum conuerti. Doctum alium Magistram audiui asserentem conuersiones formales proprie non esse conuersiones, quia ad conuersionem non requiritur vt remaneant accidentia, quæ sint propria termini conuersi, seu desinentis, & quæ ita illum demonstrent, aut significant, vt naturaliter loquendo valeat consequentia sunt hæc accidentia: ergo est propria illorum substantia, quod contingit in conuersione Eucharistica, & in nulla generatione naturali formæ substantialis, in qua etiam vna forma deficit propter aliam aduenientem, forma, quæ definit nulla relinquit accidentia, quæ naturaliter non possint sine illa conseruari. Hic dicendi modus omnino gratis est excogitatus, quia omnes Scholastici conuersionem agnoscunt independentem ab his accidentibus naturaliter inseparabilibus à termino conuerso, quibus in hac re necessariò standum est, in aliis enim, in quibus ex ipsa rei natura potest ratio desumi, grauis aliqua inueniri poterit, quæ aliquando cogat recedere à communi sententia, in hac autem quæstione nulla ratione naturali potest definiri, quid sit conuersio, & ita numquam licebit recedere à communi Doctorum sententia, quæ actionem his, vel his circumstantiis affectam conuersionem appellant, semper enim procedere debet disputatio de actione illa, quam conuersionem Doctores appellant, & tantum licebit disputare an illi conueniat conditio aliqua, in qua est opinionum varietas, vel quam Doctores non assignant tanquam constitutiuam conuersionis, sed tanquam quid illatum ex illius constitutiuo, tunc enim admissio constitutiuo, possum ego ratione naturali contendere ex illo non inferri conditionem aliam, nouum autem constitutiuum conuersionis excogitare præter illud, quod Scholastici hucusque conuersioni assignauerunt nemini quantumuis docto fas est. Secundo omnes Doctores affirmant in nuptiis celebratis in Cana Galilææ aquam in vinum esse conuersam, & mulierem Loth conuersam esse in statuam salis, in quibus conuersionibus nullum accidens permansit, quod terminum conuersum, qui reliquit esse, argueret.

8 Respondeo in his conuersionibus formalibus verè & proprie vnã formam transire in aliam, & in aliam conuerti, nihilominus vulgò non dici vnã fieri aliam, quia frequenter, & ferè semper de his formis loquimur, quatenus subsunt generationi & corruptioni, & quatenus continentur in potentia subiecti, & illud per inhesionem, & informationem efficiunt, & quatenus totum substantiale constituunt, vel aliud perficiunt, & naturam substantiæ tanquam illius proprietates, & accidentia consequuntur, raròque aut numquam de his formis quatenus subsunt conuersioni mentionem facimus, quia de illis sub hoc respectu strictè Aristot. & antiqui Philosophi non egerunt.

9 De materiali conuersione rectè docuit P. Vasquez 3. p. disp. 184. num. 34. nullatenus contingere posse, quia licet posset vna forma ex vna materia in aliam transire, ex eo quod, quæ vnã materiam informabat nouam aliam informare inciperet, antiqua illa materia non desineret esse, & ita non daretur transitus vnus materiæ in aliam materiam. Secundo etiam ex eo quod hæc forma materiam antiquam relinqueret, & nouam acquireret, materia antiqua desiceret, non ideo daretur materiæ conuersio, quia vna non desiceret ex vi alius materiæ, sed tantum præcisè ex eo, quod formam antiquam amisset, & ad definitionem materiæ antiquæ omnino noua materia impertinens esset.

M m S. II.

## §. II.

An ex vi conuersionis debeat produci terminus ad quem.

**10** Per conuersionem debere produci aliquid, ex vi cuius extremum illud quod conuertitur, constituitur sub illo communi utriusque extremo, sub quo fit conuersio, est certum apud omnes, quia illud, in quod aliud conuertitur, debet poni speciali modo, quo antea non erat positum sub illo, sub quo antea erat terminus conuersus, sed hæc positio non potest fieri quin illi termino contingat modus aliquis, siue sit vnio, siue præsentia localis, ratione cuius dicat nouam habitudinem ad illud, quod remansit ex termino conuerso, siue sint illius accidentia, siue subiectum, cui inhærebat: ergo necessarîo producendus est talis modus, per aliquam nouam actionem, in qua sita erit conuersio. Difficultas est, an non tantum debeat produci modus ille, sed etiam terminus, seu extremum illud, in quod aliud conuertitur: verbi gratia, conuertitur substantia panis in corpus Christi, in hac conuersione necessarîo producitur modus aliquis, ratione cuius corpus Christi specialem habitudinem habet ad accidentia panis, quam antea non habebat, siue modus iste sit præsentia localis, siue aliquid aliud ab illa distinctum, est difficultas an non solum modus iste, sed etiam ipsum corpus Christi, in quod panis conuertitur debeat produci. Affirmant P. Soar. tom. 3. in 3. part. disp. 50. & alij apud ipsum, quos sequuntur P. Hurt. hic disp. 1. sect. 4. Arriaga disp. 1. sect. 3. subsect. 2. Per conuersionem non necessarîo producendum esse terminum in quem fit conuersio, & in conuersione Eucharistica non dari actionem terminatam ad substantiam corporis Christi, ex vi cuius iterum reproducatur, affirmant Scotus, Altiusod. Alenf. Ocham. Ricard. Palud. Ferr. & Capr. & alij apud P. Soar. supra. Eandem sententiam defendit P. Vasquez disp. 181. à c. 6. & Hurt. Compl. tom. de Eucharist. disp. 2. de Eucharist. disp. 4. diff. 9. quibus ego consentio.

**11** Probo actionem illam, ex vi cuius Christus iterum reproducatur esse superfluum: etiam in conuersione Eucharistica detur actio productiua terminata ad substantiam corporis Christi, debet dari actio terminata ad modum, quo corpus Christi specialiter est sub accidentibus panis, sed data hac secunda actione superflua est illa prima, ex vi cuius reproducitur corpus Christi: ergo admittenda non est. Probo minorem: data hac secunda actione ex vi cuius producitur modus ille distinctus à substantia corporis Christi, & actione, ex vi cuius Christi corpus in Cælis conseruatur, per primam actionem seclusa illa secunda reproductione est totum id, quod esset, si poneretur illa reproductione: ergo reproductio illa superflua ponitur, siquidem non aliquid ex parte termini resultat, ratione cuius Christus sit sub accidentibus panis aliquo speciali modo, quo non esset, si illa non esset posita. Confirmatur: actio distincta à termino semper intenditur propter terminum, qui ex vi illius existit, ad quem ordinatur, & non propter seipsam: sed illa actio in conuersione non potest desiderari, neque intendi propter terminum, qui eodem modo existeret illa actione seclusa: ergo non est cur ad conuersionem desideretur, sed omnino superflua, & impertinens est ad conuersionem. Secundo, vt bene docet P. Vasquez, secunda illa reproductio vt reproductio est corporis Christi secundum substantiam habet eundem terminum, ac habet actio prima productiua corporis Christi, sed ex vi actionis primæ productiua corporis Christi non destruitur substantia panis: ergo neque ex vi huius secunde reproductio habentis eundem terminum, quia corpus Christi secundum se sumptum secluso modo speciali, quem habet in Eucharistia sub accidentibus panis nullam habet oppositionem cum substantia panis: ergo substantia panis tantum destruitur ex vi actionis, qua producitur modus ille superadditus corpori Christi: ergo in illa sita est tota ratio conuersionis, siquidem ex vi illius tantum supposita actione primo productiua corporis Christi destruitur substantia panis, & sub illius accidentibus specialiter constituitur corpus Christi.

Respondet P. Soar. sect. 4. iam citata, §. sed vt hoc amplius.

**12** Posita actione productiua corporis Christi necessariam non esse actionem aliam ex vi cuius Christus specialiter constituitur sub accidentibus, illisque specialiter præfens fiat, quia specialem hunc modum habet Christus ex vi illius

reproductionis, sicuti quando creatum fuit Cælum ex vi illius actionis constitutum fuit in tali loco, quin alia noua actio daretur, ex vi cuius adduceretur ad illum locum, vt per se constat, quia adductio connotat rem adductam alibi præexistere. Afferitque illam præsentiam Eucharisticam intelligi posse resultare ex substantia Christi prope nunc producta, vel sicut in re facta intelligitur esse talis præsentia supra ipsam rem factam, sic in hac secunda actione intelligi præsentiam propriam actionis, ex vi cuius Christus habet præsentiam Eucharisticam, ita vt sicuti entitas actionis est fieri termini, sic præsentia actionis fit fieri termini, & hac ratione secunda hæc reproductio ratione suæ entitatis determinatur ad corpus Christi reproducendum tanquam fieri illius, & ratione suæ præsentia terminatur ad præsentiam Eucharisticam corporis Christi sub accidentibus panis, & ita illa posita necessaria non est alia actio, ex vi cuius Christus specialiter constituitur sub accidentibus Eucharisticis.

Contra hanc doctrinam multa habeo mihi quidem valde difficilia. Primò verum non est ex vi secunde reproductio terminata ad Christi corpus constitui specialiter sub accidentibus Eucharisticis, secluso fieri distincto illius modi specialis, siue hoc sit præsentia ipsius actionis reproductiua Christi, siue actio alia adequatè distincta. Ratio est manifesta: fieri modi seu præsentia Eucharistica sub accidentibus panis supponit existentiam Christi secundum se sumptam tanquam subiectum modi illius: sed actio terminata ad corpus Christi, etiam si sit reproductio, & ab ipso Christo tanquam à principio actiuo procedat, non supponit existentiam Christi vt subiectum talis actionis, alia non solum Christus esset principium actiuum, sed etiam passiuum quæ reproductio: ergo fieri Christi vt reproductio, seu fieri, quod reproductio dicitur corporis Christi, distinguitur à fieri illius modi, siue tanquam actio ab actione, siue tanquam actio à vi modo, seu præsentia, vt secundo loco respondet Soar. ergo ex vi reproductio secunde esse reproductio corporis Christi non constituitur Christus specialiter sub accidentibus panis Neque minus falsum est exemplum adductum à P. Soar. de productione Cælorum, nam prima ipsorum creatio fuit actio distincta ab actione, qua fuit producta prima ipsorum præsentia, hæc enim, vt primò moti sunt Cæli, perit, actio verò, qua primò sunt creati, nunc eadem numero perituerat. Quod illa actio, per quam producta fuit prima Cælorum præsentia non sit adductio, non probat non esse actionem distinctam à productione Cælorum, sed Cælos non antea alibi existisse, quia adductio vt bene docet Soar. connotat rem adductam alibi existisse, est enim præsentia corporis in diuerso loco ac antea habebat, & ita supra ipsam actionem dicit denominationem extrinsecam ex præsentia, quæ præcessit respondentem alij spatio, & ita illa productio primæ præsentia, adductio diceretur, si Cæli tempore præcedenti alibi existissent, quod absque variatione huius actionis potuit contingere. Secundo falsum est præsentiam actionis esse fieri præsentia termini, præsentia enim actionis, & præsentia termini sunt duæ entitates pertinentes ad idem prædicamentum *ubi*, fieri verò præsentia termini & ipsa præsentia termini sunt duæ entitates, quarum hæc posterior pertinet ad prædicamentum *ubi*, & illa prior ad prædicamentum Actionis: quod si reperiamus entitates pertinentes ad diuersa prædicamenta sub diuersis rationibus formalibus, nullus constituitur actionem à termino distinctam sub prædicamento actionis, & sub prædicamento *ubi*. Item efficacius: fieri præsentia termini subiectatur in eodem subiecto, in quo subiectatur præsentia cuius est fieri, seu terminus illius, sed illa præsentia subiectatur in termino actionis præcipue, videlicet in substantia reproducta: ergo in eadem debet subiectari fieri præsentia, sed præsentia actionis subiectatur in ipsa actione, quam afficit: ergo præsentia actionis, & fieri præsentia termini habent diuersa subiecta: ergo distinguuntur.

Vltimò admissa tota hac doctrina, probo necessariam non esse reproductio terminatam ad existentiam Christi, vt detur conuersio panis in substantiam corporis Christi. Præsentia actionis est fieri præsentia termini, vt affirmat P. Soar. ergo posita diuersa præsentia actionis, erit diuersum fieri præsentia termini: ergo ex eo præcedit, quod ponatur noua præsentia actionis, ponitur noua præsentia termini: ergo ad hoc vt Christus specialiter incipiat esse præfens accidentibus panis, necessaria non est

est noua illius productio, sed noua praesentia superaddita productioni antiquae, quae erit nouum fieri nouae praesentiae, ex vi cuius fiat Eucharistica praesentia, eadem enim actio productiua corporis Christi poterit habere plures praesentias quae sint plura fieri plurium praesentiarum corporis Christi, quibus definitiue existat in Eucharistia, & in Caelis circumscriptiue. Rem declaro, & confirmo: posita hac secunda reproductione, quam ponit P. Soar. cum illa praesentia, quae est fieri praesentiae Eucharisticae, actio illa, ex vi cuius Christus existit in caelis, si per possibile, vel impossibile deficeret actio prima productiua Christi, non deficeret Christus, quia ex vi huius secundae productionis sufficienter conseruaretur, neq; deficeret vt existens in Caelis, quia vt existens Caelis tantum addit praesentiam distinctam ab ipso vt existente in Eucharistia, quae supposita existentia Christi in Eucharistia existit per actionem terminatam ad ipsam praesentiam caelestem sine alia noua actione terminata ad corpus Christi, res enim existens in hoc loco praecise per actionem nouam terminatam ad nouam praesentiam ponitur in alio loco sine noua actione terminata ad existentiam rei: ergo intelligitur substantia Christi corporis cum vnica tantum actione terminata ad illius existentiam, & cum pluribus actionibus terminatis ad diuersas praesentias, quae actiones terminatae ad praesentias, sint quasi modificationes actionis terminatae ad corpus Christi, vel proprii modi illius, vt vult Soar, qui asserit praesentiam actionis esse fieri praesentiae termini existentis in Caelis, & in Eucharistia per veram conuersionem, quae non consistit praecise in actione terminata ad corpus Christi, sed in actione sic modificata, vt terminetur ad corpus Christi tali modo praesens in Eucharistia: ergo ex eo, quod ita modificetur actio, qua primo Christus fuit productus, dabitur conuersio corporis Christi absque eo quod detur noua actio, siquidem ex actione antiqua, & noua illius modificatione potest fieri concretum eiusdem rationis, quo fit ex noua productione, & ex modificatione eiusdem: haec enim modificatio, quae reproductioni superadditur potest addi primae productioni, quia prima productio, & secunda productio materialiter sumptae vt distinctae ab hac modificatione eiusdem omnino sunt rationis, eundem formalem terminum respiciunt, & neutra potest habere rationem conuersionis, quia vtraque terminatur ad nudam substantiam corporis Christi, quae per se sumpta non dicit modum existendi Eucharisticae, neque aliquam oppositionem cum substantia panis.

## §. III.

An ex vi conuersionis debeat desinere terminus a quo.

15 **P**raecipuum argumentum, quo nos impetunt aduersarij in hunc modum procedit. Ad hoc vt detur conuersio non sufficit vt terminus a quo desinat esse sub illo, sub quo fit conuersio, sed requiritur vt absolute desinat esse, ita vt non maneat in rerum natura: verbi gratia, vt panis conuertatur in corpus Christi non sufficit, quod panis desinat esse sub accidentibus, sub quibus ponitur corpus Christi, sed requiritur absolute vt panis simpliciter secundum se desinat esse, ita vt in rerum natura non permaneat: ergo requiritur vt terminus ad quem denud producatur per nouam actionem ad illum terminatam, etiamsi terminus antea praexistit. Respondent nonnulli ad conuersionem panis in corpus Christi sufficere per se loquendo substantiam panis non permanere sub antiquis accidentibus, in quae succedit corpus Christi, necessarium tamen desinere substantiam panis, quia eo ipso quod remaneat sine accidentibus nequit naturaliter conseruari, sicut alij de materia panis philosophantur existimantes ex vi conuersionis formaliter tantum per se deficere formam panis, & materiam consequenter, quia materia non potest naturaliter conseruari sine forma. Contra hanc doctrinam vulgo obicitur sequi vnum corpus conuerti in aliud, quando illud e loco pellit, quia desinit esse in illo loco, in quem succedit corpus aliud, & ita posse dici hominem conuerti in bestiam, quando ab hac illius locum occupare incipiente e loco pellitur. Hoc argumentum nullius est momenti, quia cum corpus e loco pellitur ab alio, nullum accidens corporis expulsi remanet, in quod succedat corpus expellens, quia vbi intrinseca expellens, & expulsi sunt realiter

Franc. de Quiedo, Philosoph. Tom. 1.

diuersa spatium imaginarium nihil est, & locus extrinsecus proprie non est accidens locati, quia est illi nimis extrinsecus, & ita non datur conuersio quando vnum corpus succedit in locum alius, quia nihil illis commune datur.

16 **O**bjiciunt alij: Sequi corpus Christi conuerti in nostram substantiam, & in substantiam vermis, quando corruptis accidentibus Eucharisticis desinit esse sub illis corpus Christi, & succedit nostra substantia, vel substantia vermis, quae succedit sub illis accidentibus. Nonnulli apud P. Soar. disp. 4. sect. 3. in initio, non reuocant consequentiam concedere: asserit tamen P. Soar. nequaquam concedendam esse, neque esse tutum in re tam graui ab antiquis Theologis recedere, esseque piorum aurium offensiuum asserere Christum conuerti in substantiam vermis, & in alias huiusmodi substantias. P. Arriaga disp. 1. sect. 3. subsect. 1. ait se non magnum absurdum videre in consequentia admittenda, & non improbabiler posse admitti, neque illius doctrinam inter viros doctos prolatam aliquid scandalum allaturam, quod si gigneret, tantum esset apud ignaros, qui si audirent Verbum diuinum posse vniui hypostaticae formae leonis aliorumve animalium putare hoc non sine ingenti blasphemia dici, quod tanquam verum defendit P. Soar. & communis Theologorum sententia.

17 **H**is non obstantibus: sentit Arriaga probabiliter negari consequens, quia videtur nullum esse accidens commune, sub quo fiat conuersio, accidentia enim panis non remanent quando succedit forma alia recedente corpore Christi accidentia, quae formam illam sequuntur, non fuerunt in Christo, qui potius recedit, quia veniunt talia accidentia: ergo conuersio haec corporis Christi in nostram substantiam non fit sub accidentibus panis, neque sub accidentibus formae aduenientis: ergo sub nullo communi accidenti cum in sententia Arriagae quantitas distincta ab aliis accidentibus non admittatur. Displicet maximopere solutio, quia quando succedit forma vermis, etsi deficiat aggregatum illud accidentium, sine quo forma panis non potest naturaliter conseruari, non tamen deficit omne accidens, ita vt nullum permaneat ex his, quae aggregatum illud constituebant, sunt enim plura accidentia, quae remanent in quocumque genito ex his quae praecesserunt in corrupto praecedenti, & sic producta substantia vermis remanebunt plura accidentia ex his, quae constituebant temperamentum panis, sub quibus loco panis erat corpus Christi: ergo si ex alio capite non obtaret, posset sub his accidentibus fieri conuersio. Secundò quouique deficiat temperamentum requisitum vt naturaliter sub illo posset conseruari forma panis non recedit corpus Christi, sed antequam deficiat hoc temperamentum, deficiunt alia accidentia, quae ad perfectum panis temperamentum pertinebant, licet sine illis posset conseruari forma panis, loco quorum succedunt alia, quae incipiunt disponere ad formam venturam, quando recedit corpus Christi, quae remanent adueniente substantia compositi venturam: ergo sub his etiam posset fieri conuersio, si ex alio capite non obtaret. Tertiò temperamentum panis in aliquibus gradibus cuiusuis ex quatuor qualitibus conuenit cum temperamento cuiusuis compositi venturi recedente corpore Christi: ergo gradus illi communes temperamento panis, & temperamento compositi venturi iidem perseverabunt recedente corpore Christi, & adueniente alio composito: ergo sub illis posset fieri conuersio, si ex alio capite non repugnaret.

18 **Q**uidquid sit de absurdo consequentis ego consequentiam negarem, etiamsi concederem ad conuersionem non requiri absolutam desitionem termini a quo, assereremque Christi corpus non conuerti in formam aliam speciebus Eucharisticis, quia Christi corpus non desinit esse sub speciebus ex aduentu formae aliti, sed ex defectu accidentium panis, quibus est annexa praesentia Eucharistica, & ita praecise ex eo quod haec deficiant deficit corpus Christi, ita vt prius sit introduci dispositiones aliti, posterius deficere dispositiones panis ( loquor de prioritate, & posterioritate naturae, haec enim omnia in eodem temporis instanti contingunt ) deinde deficere corpus Christi, & postea creari materiam, in quam introducenda est forma aliti, & vltimò formam hanc introduci. Hac ratione corpus Christi non desinit ex vi substantiae aduenientis, quia ante illam supponitur non existens Eucharisticae sub illis accidentibus, & ita non potest dici conuerti in substantiam aduenientem, quia de ratione illius, quod conuertitur

M m 2 est

est definire esse sub accidentibus, aut subiecto communibus ratione illius in quod conuertitur. Contra hanc solutionem statim se offert doctrina tradita Controv. 8. Phys. punct. 3. ubi dixi formam substantialem expellendam esse à subiecto non solum ex defectu dispositionum etiam si ab illis dependeret in conseruari, licet talis defectus supponatur ad formam contrariam, & ex se sufficiens esset ad inferendam negationem formæ, sed etiam ratione formæ contrariæ, à qua simul & à defectu dispositionum, qui esset prior illa, procederet expulsio formæ præexistentis: ergo eadem ratione in nostro casu dicitur, etiam si defectus accidentium panis sufficiens sit vt ex vi illius tantum recedat corpus Christi seu desinat esse Eucharisticè, non definire esse præcisè ex defectu accidentium, sed ratione huius defectus, & ratione substantiæ aduenientis impossibilis cum corpore Christi Eucharisticè existenti, & sufficientis illud ab his accidentibus expellere. Respondeo: disparem esse rationem, quia forma, quæ alij succedit non supponit illam expulsam prioritate naturæ, neque illius introductio dependet ab illius expulsionem tanquam ab aliquo antecedenti, quia etsi sit impossibilis cum illa sufficiens est illam expellere, & ita non illam expulsam supponit. In nostro verò casu dici potest substantiam succedentem corpori Christi non habere virtutem ad expellendum corpus Christi ab illis accidentibus, sed necessariò illud supponere expulsam. Ratio autem, quæ me mouet ad asserendum substantiam aduenientem necessariò supponere negationem corporis Christi sub illis accidentibus hæc est. Deus conseruat Christum sub accidentibus panis, & non producit substantiam panis dum accidentia perseuerent, etiam si accidentia exigant productionem substantiæ panis: ergo Deus conseruat Corpus Christi Eucharisticè existens independenter ab exigentia causarum naturalium respectu substantiæ impossibilis cum illo: ergo illud conseruabit & illam substantiam impossibilè non producet, etiam si illius dispositiones eiusdem substantiæ productione exigant: ergo nunquam corpus Christi poterit expelli ab aliqua substantia, quia etsi quæcumque adueniens esset impossibilis cum illo, & illud expelleret si produceretur, tamen produci nequit donec supponatur Christus non existens sub illis accidentibus, quia Deus Christum sic Eucharisticè existentem conseruat independenter ab exigentia formæ contrariæ, sicuti si Deus decreuisset conseruare calorem in hoc subiecto independenter à forma contraria frigiditatis, frigiditas non posset calorem expellere, neque introduci in subiectum caloris sicuti de vnione hypostatica multi affirmant reddere Christi humanitatem impeccabilem, quia in sensu composito impossibilis est vnio cum peccato, & peccatum non potest illam ab humanitate diuidere, quia Deus illam conseruat independenter à quocumque contrario. Itaque dicendum Deum conseruare modum Eucharisticum corporis Christi sub accidentibus panis tantum dependenter ab existentia horum accidentium, & independenter ab omni alio, & ita tantum ex defectu accidentium deficere poterit, & non ex defectu alijs substantiæ, neque aliqua impossibilis cum hoc modo existendi produci poterit, si prius natura non supponatur ad illius productionem negatio modi, ex vi cuius Christi corpus Eucharisticè existit.

19

Hæc dixi vt ostenderem inferendum non esse Christi corpus recedens ab accidentibus conuerti in substantiam succedentem, etiam si non requiratur terminum à quo definire esse secundum substantiam, sed tantum sub speciali modo aliquo, nihilominus omnino verum existimo terminum à quo conuersionis secundum suam substantiā debere definire esse, ita vt non solum non existat modo, quo antea existerat, sed neque in rerum natura permaneat aut existentiam habeat. Quia si dicatur sufficere ad conuersionem panis in corpus Christi, substantiam panis non existere sub accidentibus panis, difficile potest ratio reddi propter quam substantia panis in rerum natura non permaneat, dicere autem substantiam panis absolute non definire esse nefas est. Quod enim dicitur substantiam definire esse, quia manet sine accidentibus, sine quibus non potest conseruari difficile est, quia ex eo quod substantiæ deficient accidentia, quæ sunt illa posteriora, & ab ipsa dependent, non videtur defecturam substantiam, quia, quod est prius non deficit ex defectu illius, quod est posterius. Neque materia prima ex defectu horum accidentium, neque ex defectu formæ panis substantialis deficeret, quia vt dice-

bam Contr. 2. Phys. punct. 7. materia sine forma constituta peteret naturaliter conseruari. Vide quæ de hac re, & dependentia à posteriori scripsi. Ratio à priori est quia terminus a quo transit à se ipso in terminum ad quem, & illud, quod erat terminus à quo, verbi gratia, panis, fit corpus Christi, quod est terminus ad quem. Conuersione enim est transitus non solum ex vno in aliud, sed vnus in aliud, verbi gratia, non est transitus ex vno subiecto in aliud, ad quod sufficeret relinquere hoc subiectum, & aliud acquirere, sed vnus in aliud, hoc est ex eadem entitate quæ transit, quæ se ipsam respicit tanquam terminum à quo, quem relinquere debet, illud enim à quo fit transitus relinquendum est, nihil enim transit ab illo, in quo perseuerat, non potest autem se ipsum relinquere nisi per defitionem sui, dum enim perseueret in se ipso, & quasi secum erit, & ita non dicitur à se transisse, terminus autem ad quem non est illud à quo fit transitus, & ita sufficit vt terminus à quo fiat terminus ad quem, quin ipse terminus ad quem fieri incipiat, quia vt hoc fiat aliud non requiritur, illud aliud tunc fieri, sed in illud, siue tunc, siue antea factum transire, quod conuerti, & fieri dicitur. Itaque substantia panis relinquit se ipsam, & quasi acquirit aliquid distinctum à se, in quod transit, & quod fit, vt autem se ipsam relinquat necessum est relinquere suam existentiam, vt autem quasi acquirat aliquid distinctum à se non requiritur illud distinctum tunc produci, potest enim illud, quod iam diu productum est tunc acquiri.

Rursus obiicitur ex modo loquendi Patrum asserentium corpus Christi fieri, produci, vel creati in conuersione Eucharistica. His testimoniis rectè responderet P. Valquez. Patres nihil aliud significare voluisse, quam virtute verborum substantiam panis, & vini transire in corpus Christi: ratione enim conuersionis corpus Christi constituitur in hoc Sacramento, ac si denudò crearetur. Instat Hurtad. ex profa Missæ dicente: *Fitzque sanguis Christi merum*, quæ propositio esset falsa, & inepta si corpus Christi non fieret per nouam actionem. Sinitrè propositionem hanc interpretatus est Hurtad. quia in illa verbum *fieri*, seu participiū *factus*, in illo inclusum non prædicatur de sanguine, sed de mero & propositio debet contrui, merū fit sanguis Christi, ac proinde si verbum *fieri*, seu illius participiū importaret actionem terminatā ad subiectū, de quo prædicatur potius deberet inferre Hurt. verbum *fieri* importare actionem terminatam ad merū, quàm ad sanguinē Christi, quod absurdū est si intelligatur de vera actione positua: denus ergo propositio est: merū fit sanguis Christi: *El vino se à hecho sangre de Christo*, hoc est definit esse in Christi sanguinem.

Vltimò obiicitur: si per conuersionem Eucharisticam non producit corpus Christi sed tantum ponitur sub speciebus, sequitur conuersionem Eucharisticam non esse substantialem, quia tantum est quædam præsentatio, seu adductio corporis Christi per nouam præsentiam localem seu vnionem accidentalem ad accidentia panis, quomodocumque hæc vnio constituitur, ad quem tantum terminabitur conuersione, ac proinde non erit substantia, sed accidens. Resp. conuersionem dicere oppositionem inter terminum à quo & terminum ad quem, quæ oppositio substantialis dicitur ex eo quod inter terminos substantiales versetur, ex vi enim illius vna substantia immediatè transit in aliam, quod est conuersionem esse substantialem, & terminari ad substantiam formaliter vt conuersio est, quia conuersio vt conuersio formaliter respicit tanquam terminum formalem illud, in quod fit conuersio, licet materialiter sumpta, vt productio est respicit accidens, videlicet modum illum, seu præsentiam localem, ex vi cuius Christus existit sub panis accidentibus, vt ex P. Lugo dicebam puncto immediatè præcedenti, sed dicit P. Soar. supra aliud esse conuersionem esse substantiarum, aliud esse substantialem, conuersionem esse substantiarum dicit ex vi illius vniam substantiam conuerti in aliam, esse verò substantialem dicit respicere tanquam terminum formalem substantiam, quem non respicit conuersio Eucharistica, si ex vi illius non producit Christi corpus, sed tantum modus ille accidentaliter existendi sub speciebus panis. Resp. terminum formalem à quo conuersionis esse illud, quod conuertitur, & quod definit esse, & terminum formaliter ad quem conuersionis vt conuersionis esse illud in quod aliud transit, & in quod conuertitur, vt dicebam puncto præcedenti, ac proinde eo ipso quod conuersio est substantiarum, & ex vi illius vna substantia in aliam conuertitur, respicit

respicit unā substantiam tanquam terminum à quo, & aliam tanquam terminum ad quem, & est conuersio substantialis, quia formaliter vt conuersio est terminatur ad substantiam, neque conuersio ex alio capite potest dici substantialis nisi quia ad substantiam terminatur, sicut actio substantialis dicitur, etsi entitatiuè sit accedens, ex quo ad substantiam terminatur. Instabis: conuersio vt productio est terminatur ad modum illum accidentalem, & non ad substantiam secundum sententiam traditam: ergo non est simpliciter substantialis. Retorqueo argumentum: conuersio etsi sit productio corporis Christi in sententia P. Soar non tantum terminatur ad corpus Christi secundum se, sed ad corpus Christi sub illo modo existenti sub speciebus Eucharisticis: ergo non solum respicit tanquam terminum substantiam corporis Christi sed modum illum accidentalem: ergo terminatur ad accidens ergo accidentale dicitur. Resp. conuersionem dici substantialem ex eo quod formaliter vt conuersio est terminatur ad substantiam, etiamsi materialiter vt productio est modum accidentalem respiciat vt terminum.

## §. IV.

## Totius difficultatis resolutio.

22 **E**X dictis de natura conuersionis, & de illius proprietatibus facile erit definire, quomodo generationi ratio conuersionis contingat, & in quibus generationibus intercedat conuersio. Primum certum est de conceptu generationis conuersionem non esse, quia generatio non dicit corruptionem formæ, neque alicuius entitatis habentis oppositionem cum termino formali, aut totali generationis, neque dicit materiā primā, aut aliquod accidens, quod terminum genitum afficiat præcessisse in aliquo termino, qui ex vi generationis desinat esse, quæ essentialiter requiruntur ad rationem conuersionis vt dictum est. Secundum certum est etiam non omnem conuersionem esse generationem, quia etiamsi quiddam est in substantia panis, & modus vnionis inter materiam, & animam humanitatis Christi crearentur, ac proinde totum corpus Christi compositum ex materia, & forma esset creatum, substantia panis conuerteretur in corpus Christi absque vlla generatione adhuc præexistente, quæ respiceret terminos conuersionis, neque aliquid ad illorum constitutionem spectans, & in substantiis creatis certum est posse dari conuersionem sub aliquibus accidentibus communibus etiamsi nulla intercedat ipsorum generatio. Itaque generatio & conuersio mutuo exceduntur, dantur enim generationes, quæ conuersiones non sint, & conuersiones, quæ non sint generationes, licet aliquando in eadem mutationem consiliat generationis, & conuersionis ratio.

23 In generatione compositorum, quorum formæ materiales sunt regulariter duplex reperitur conuersio, conuertitur enim forma corrupta in formam genitam conuersione formali, quæ propriè est conuersio vt dicebam supra, & conuertitur totum genitum in totum corruptum, quia ex vi totius geniti desinit esse totum corruptum, & vtrique eadem est materia communis. Conuersio hæc totius in totum non distinguitur à conuersione vnionis in vnionem, quia non alia ratione totum genitum ponitur in rerum natura, neque destruitur totum corruptum, nisi quatenus destruitur vnio huius, & illius vnio producitur. In morte hominis, & generatione cadaveris, etsi vnum totum conuertatur in aliud, non tamen vna forma in aliam conuertitur, quia rationalis anima non desinit esse secundum se, etiamsi producatur forma cadaveris, & introducatur in materiam, quam ante informabat rationalis animus, ac proinde non potest esse terminus à quo conuersionis, neque in formam cadaveris conuertitur, quia terminus à quo conuersionis, qui in terminum ad quem conuertitur, debet desinare esse secundum suam entitatem, & in rerum natura non permanere, anima autem rationalis separata à materia verè existit, & permanet in rerum natura. In hominis generatione duplicem conuersionem reperio totius corrupti in totum genitum videlicet hominem, & conuersionem formalem formæ embryonis, aut aliis quæcumque sit, quæ præcedat rationalem animam, in ipsum rationalem animam. Priorem conuersionem admittit communis sententia: posterior hanc negat Hurt. disput. 1. sect. 4. tum quia anima rationalis non educitur ex potentia materis, tum quia non opponitur cum forma precedenti ratione sui, sed ratione vnionis. Neutra ratio me mouet, non prior quia ad

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. 1.

conuersionem non requiritur terminum in quem sit conuersio educi ex illo, sub quo fit conuersio, possunt enim conuerti illa, quæ per se creantur, vt dicebam supra, neque requiritur terminum ad quem produci ex vi conuersionis vt nuper probabam. Posterior ratio non mihi maioris ponderis est, quia vt probaui Contr. 8. Phys. punct. 3. forma media vnione opponitur cum aliâ non solum vt vnità, sed vt educatâ, & ita anima rationalis vt vnità non solum immediate destruit vnionem formæ embryonis, & consequenter ipsam formam, quæ sine hoc vnione non potest conuerti, sed immediate opponitur cum ipsa forma, vt educatâ, & exigit ne ulterius educatur, quod est exigere suspensionem influxus, quo conseruatur. Ad illud, quod dicit Hurt. formam rationalem non opponi per se ipsam, sed per vnionem. Respondeo animam rationalem per se ipsam esse destructiuam in actu primo formæ embryonis, indigere tamen vnione tanquam causalitate requisita vt in actu secundo illam destruat, seu in actu secundo hic. & nunc exigat illius destructionem, sicuti forma educatâ mediâ educatione tanquam causalitate, seu applicatione exigit destructionem formæ oppositæ, quam non exigeret, si non educeretur, nihilominus dicimus per se ipsam immediate opponi cum aliâ. Ex his argumentum desumitur ad probandum in generatione hominis, & corruptione embryonis reperiri omnes condiciones requisitas, vt dicatur formam embryonis conuerti in animam rationalem, quia aduenit anima rationalis per impossibilitatem, quam habet cum illa, & vtrique est subiectum commune. Neque obest animam rationalem non produci in generatione hominis, quia necessum non est, ex vi conuersionis produci terminum ad quem conuersionis.

## PUNCTUM VI.

## De Generatione viuientium.

**T**heologi omnes cum Doctore Angelico 1. part. quæst. 27. art. 2. viuientium generationem definiunt: *Origo viuientis à viuente à principio conuinctio in similitudinem naturæ*, quæ definitio videtur desumpta ex Aristot. variis in locis, nam 8. ethic. cap. 12. dixit genitum debere esse coniunctum generanti: debere autem esse in similitudinem naturæ docuit idem Philosophus 2. de anima cap. 4. tex. 34. & 7. Meta. cap. 8. tex. 18. & 1. de Gener. animalium cap. 1. Addit Maior in 1. dist. 13. quæst. 1. Generationem hanc debere esse à viuente cognoscente se, vt hac ratione plantæ excludantur à vera generatione, siquidem vna arbor alius arboris filia non dicitur. Consentit P. Vasquez disput. 113. cap. 2. num. 6. Dissentient alij plurimi Doctores cum recentiorum manu. Ceterum nomen *filij* tantum tribui viuentibus, quæ ab aliis cognoscitiuis procedunt citra controuersiam est, actuale verò cognitionem ad hanc filiationem in principio, à quo procedit necessariam non esse, frustra quicumque negabit, nullus enim dicit prolem procreatam à femina dormiente in instanti, in quo semen virile recepit, & proprium decidit, & in instanti in quo exercetur actio productiua ipsius prolis rationem filiationis non trahere à tali femina, & hanc propriè matrem non esse. His positis vix aliquid potest circa rem in quætionem verti, quod ultra nomen procedit. Certum enim est arbores non dici filias, an verò hoc procedat ex eo, quod cognoscitiuæ non sint arbores, quæ aliarum sunt principia, vel ex aliis peculiaribus circumstantiis, quæ reperiuntur in generationibus sensitiuorum, & non in generationibus viuientium, quæ tantum se nutriunt incertum est, non enim potest certò sciri, quâ ratione apud maiores nostros inualuit vltus non tribuendi filiationem viuentibus, quæ à purè sensitiuis procedunt. Coniecto ego arboribus, & plantis vulgo filiationem denegatam fuisse, quia regulariter vix specialem aliquam similitudinem sensibus perceptibilem habet planta, seu arbor cum principio, à quo fuit producta, quam non habeat cum aliis plantis, seu arboribus eiusdem speciei, & cum de ratione filij sit similitudo, hinc fit, vt illis, in quibus vulgus vix aliquam similitudinem agnouit, filiationis proprietatem non impertiat. Neque refert minorem habere similitudinem equam cum asino, & nihilominus aini filiam dici, quia hoc peculiare est in vna, vel altera sensitiuorum monstruosa generatione, & pro omnibus idem loquendi modus est institutus.

M m 3

institutus. Ceterum etsi ad denominationem filij secundum frequentem loquendi modum requiritur principium generationis cognitivum esse, adhuc lis est, an generatio vnius arboris ex alia, ex vi cuius arbor genita filia non euadat, comprehendatur sub definitione viuientis supra tradita, aliud enim est arborem genitam filiam esse, aliud genitam speciali generatione, quam Philosophi, & Theologi definiunt, potest enim dici generationem viuientis pure nutritiui esse propriissimam viuientis generationem, & ex vi illius terminum genitum filium non euadere, quia latius patet esse genitum propria viuientium generatione, quam esse filium. Sentio arbores, etsi filia non dicantur proprie dici genitas speciali viuientium generatione à Doctoribus definita, quia illarum productioni optime quadrant omnia, quae definitione specialis generationis viuientium exprimentur, vt illius explanatione notum fiet.

2 Per particulam, *origo viuientis à viuenti*, excluduntur reliquae generationes, quae à viuentibus non procedunt, excluditur etiam nutritio, quae non est vnius viuientis ab alio viuenti distincto, quod important verba illa, *viuientis à viuente*: ly à principio coniuncto significat aliquid generationis debere esse in genito, & quidem non emortuo modo, sed vitali. Qua ratione semen dicitur à viuente modo vitali ab eodemque elaboratur: ob defectum huius conditionis productio Adami generatio non fuit, à nullo enim principio coniuncto processit, neque productio Euae etsi ex Adami costa, quia eam non vitaliter subministravit Adas, neque per illam efficienter ad productionem Euae concurrat. Ob hanc rationem possent etiam excludi ab hac definitione generationes viuientium non sensitiuorum, quia arbor non viuio modo, sed emortuo semen ministrat, vt illo arbor alia procreetur, illud enim non actiue à se decidit, neque propria virtute intra terram collocat, quae veluti mater semen arboris foueat, & illo adiuta aliam concipit, & parturit arborem. Nihilominus adhuc standum est dictis, & dicendum generationem arboris generationem esse viuientis specialiter sumptam, quia etsi arbor non vitaliter à se decidit semen, & collocat intra terram, vitaliter tamen illud elaborat cum virtute productiua alius arboris, vt ex illo non solum tanquam ex principio passiuo, sed etiam tanquam à principio arbor alia procreetur, quod respectu Euae non habuit Adami costam, quia haec in Adami structuram, & non in Euae procreationem elaborata fuit, neque actiuam virtutem habuit Euae producendi. Neque decisio illa vitali modo videtur requiri ad rationem generationis, quia si daemones in nullo viri concursu semen ab illo esset extractum, & inclusum intra feminam matricem, procreatio foetus vera esset viuientis generatio, etiam si vitalis alia decisio, & communicatio principij coniuncti non praecessisset. Existimo tamen hanc vitalem feminis decisionem per actiuum maris feminamve concursum, & eiusdem elaborationem cum dispositionibus requisitis, vt ex illo saltem tanquam ex materiali causa proles educatur, absque alio concursu actiuo praestito à principio decedente semen, vel ab ipso semine sufficere, vt proles procreatio specialis viuientis generatio dicatur, & terminus ex vi illius respectu sui principij filiationem contrahat; quia de ratione huius tantum est procedere à principio coniuncto actiue communicato genito à generante per actiuam decisionem, seu operationem ordinatam ad productionem termini geniti, vel à principio coniuncto actiue concurrente, & elaborato, vt talem praestet concursus. Doctrinam hanc trado vt defendam virum verè esse Patrem termini geniti ex femine, quod ille decidit intra matricem feminam, etiam si semen actiue non concurrat ad proles generationem, concursus enim actiuus feminis dubius est, quem multi satis probabiliter negant, & apud omnes inconcussum est substantiam genitam ex femine deciso ab hoc homine respectu eiusdem filiationem contrahere, ex quo infero independentem à concursu actiuo feminis Doctores agnoscere in sensitiuis fundamentum filiationis, siquidem constanter defendunt quemlibet hominem filium esse illius, qui decidit semen, ex quo fuit procreatus, etiam si virtutem actiuam feminis negent. Quod verò docet Arriaga, videlicet casu, quo semen virile actiue non concurrat, virum non magis esse Patrem respectu proles, quam Adamus respectu Euae aliepum est à communi hominum consensu, & ne trahat ad hoc absurdum deorandum, à posteriori infero sufficere ad viuientis

generationem respectu maris hunc actiue elaborasse semen in bonum proles procreanda, & actiue illud à se decidisse vitali modo.

Circa particulam, *in similitudinem naturae*, magna est inter Theologos dissensio, qui diuerso modo explicant similitudinem requisitam ad rationem generationis, vt iuxta propriam sententiam accommodè defendant veritatem Catholicam videlicet productionem secundae personae Trinitatis esse generationem, & secundam personam verè, & proprie esse filium, & productionem Spiritus sancti non esse generationem, & hunc filium non esse. Explicatio, quae magis consona apparet, est illa, quam verba praefata ferunt scilicet, quod generans, & genitum sint eiusdem naturae. Hanc naturam unitatem in generatione, & in genito specificam tantum poposcit Aristoteles, qui generationem tantum creatam agnouit. Ceterum si cum indiuidua naturae unitate potest distinctio generationis, & geniti, & productio componi, dum distinctio naturae non est, vt in diuinis contingit, hanc esse perfectiorem similitudinem vel unitatem sensio, cum qua melius componitur generatio, si illam nolis similitudinem vocare, maior enim est coniunctio per identitatem, quam per similitudinem. Et verò hanc unitatem debere intercedere inter generans, & genitum expresse Aristot. ex quo desumpta est illa particula *in similitudinem naturae*. Verba sunt Philosophi c. 8. text. 28. vbi ait: *in quibusdam manifestum quod generans tale est, quale quod generatur, non tamen idem, neque eum numero sed vnum in specie, vt naturalibus, homo namque generat hominem, nisi quod praeter naturam fiat vt equus mulus, & hoc quoque similiter, quod enim est commune equo & asino non est nominatum propinquissimum genus: fuerint ambo fortasse vni mulus.* Ecce ex Aristotele adeo strictè requiritur similitudo in natura vt adhuc in generatione muli similitudinem, hanc non deficere dixerit, considerandum namque vnum principium constatum ex equo & asino, cui mulus genitus assimilatur. Intendit ergo natura perfectam assimilationem in generatione muli, cumque impossibilis sit assimilatio vnius muli geniti cum duplici animali diuersae speciei, id, quod potest praestare natura, & mulum edit ea similitudine, quae potest habere cum principio adaequato constituto ex animalibus specie diuersis. Ex his principiis perfecta generatio unitatem in natura specifica perfectam dicitur numerica.

P. Hurtadus disp. 1. se. 2. a. afferit ad veram viuientis generationem, & rationem filij non requiri specificam similitudinem, sed illam tantum quae sufficiens est vt filium participem faciat bonorum parentum, & illorum haeredem. Hoc fundamento defendit mulum genitum ex equa & asino habere similitudinem sufficientem, vt illius productio verè dicatur generatio, quia mulus sufficientem habet similitudinem, vt fit particeps lactis, & blanditiarum, quibus belluae filijs suis indulgere solent.

P. Arrib. 1. part. tom. 2. quaest. 27. disp. 98. docet de ratione filij esse, quod procedat similis in ratione principij inuidentis primò producere substantiam sibi similem in natura, quod reperiri docet in omnibus filiis, quia licet mulus de facto non euadat principio similis, principium tamen illum intendebat similem producere, etsi per accidens ex commixtione feminum dissimiliū dissimilis euaserit, quia quodlibet semen secundum se ordinatur ad productionem foetus naturae specificae perfectae similis viuenti, à quo fuit decisum.

Canariensis 1. p. q. 27. art. 2. docet ad rationem filij non sufficere similitudinem, sed requiri rationem imaginis in filio, addit autem esse imaginem supra similem, hoc esse productum ad representandum prototypum, sic ouium ouo simile est, non tamen illius imago, quia productum non est vt alturum representet. Canariensi consentit P. Vasquez 1. p. tom. 2. disp. 13. c. 7. & hunc sequuti sunt illius fidei discipuli Torres Complutensis disput. 2. de Trinitate dub. 7. & Alarcon disp. 8. cap. 16. & 17. & apud hunc Basilicus Legionensis de nominibus Christi in nomine Filij.

Ricardus de S. Victore lib. 6. de Trinitate à c. 16. vsque ad 21. Alensis 1. p. quaest. 92. membr. 2. §. 1. & membr. 3. art. 2. ad 3. Maior in 1. dist. 13. q. 1. in vltima particula definitionis ab ipso adductae. D. Bonauent. in 1. dist. 31. art. 1. quaest. 1. sensere similitudinem ad rationem filij requisitam non tantum debere esse in natura, sed etiam in principio producendi, seu in virtute producendi, hoc enim principium, seu hanc virtutem nomine naturae in definitione adductae

hi doctores intelligit iuxta illud Arist. *natura est principium motus*. Hac ratione asserunt Spiritum sanctum non esse Filium, quia non producitur cum virtute aliam personam producendi: Verbum autem esse filium quia producitur simile principio in virtute producendi, sicut enim prima Trinitatis persona virtutem habet producendi filium per intellectum, sic & secunda virtutem habet producendi simul cum prima per modum vnus principij per voluntatem tertiam aliam personam, & hæc nullam aliam potest producere. Sententiam hanc his temporibus in lucem edidit P. Zuziga tom. de Trinit. disp. 2. dub. 20. Accedit Puente Hurtado in manuscriptis qui definitam esse contendit in Concilio Florentino, ex quo mentem hanc eberat Arriaga, qui iam vt ipse fatetur disp. 1. sect. 4. n. 42. ab illa decessit.

8 Perdoctus Magister à nostris sic particulam illam: *in similitudinem nature*, explicuit. Asseruit generationem debere provenire à natura, illam verò actionem provenire à natura vt natura est, quæ provenit ab ipsa natura tamquam à principio quod, vel à supposito per ipsam constituto, quia cum natura per se primo in se supposito, & secundum suum conceptum habeat esse radicem talis operationis, non potest non constituere suppositum, cui inest principium eiusdem operationis, vel termini, quoties terminus productus non est ipsa personalitas constituens illud suppositum. Vnde infert hic auctor rationem principij aduenientis supposito inesse talis iam constituto non esse naturæ; hæc enim definitur à Philosopho: *principium motus, & quietis eius in quo est primò, & per se, & non secundum accident*, id autem quod aduenit supposito iam constituto, non est in illo primò, & per se, sed secundum accidentis: Actio ergo, quæ provenit ab hoc principio adueniente supposito iam constituto, non provenit à natura vt natura est, & ita non potest esse viuentis generatio quæ esse debet origo viuentis à viuenti in similitudine nature, à qua formaliter vt natura procedat. Rem sic explicat huiusmodi propugnator datur, exempli gratia, hominè album esse principium alicuius operationis, ita indissolubiler, vt homo præcisè albedine nullatenus esset principium quod, nec remotum, nec proximum, illa operatio non esset à natura hominis, vt natura est, quia hæc exerceret suum munus respectu suppositi hominis in ordine ad totum substantiale, quod non aduenit enti iam constituto in suo esse: esse autem principium talis operationis esset accidens respectu hominis, neque humanitas cum albedine primò, & per se tale principium constitueret, sed principium quoddam, quod per accidens homini adueniret, si quidè huic per accidens contingeret albedo, ex qua tale principium constitueretur. Vnde etsi fingamus terminum productum per illam actionem procedentem ab homine albo esse hominem, adhuc talis actio non esset viuentis generatio, quia terminus productus non esset in similitudinem nature cum suo principio, quia in hoc humanitas non exerceret munus nature, cum ratio principij adueniret ipsi homini iam constituto, & ex homine, & albedine accidentaliter conflueret principium.

9 Neque ob id relegasse dicit hic auctor potentias accidentales proximas, nam si dentur, sunt quedam instrumenta substantiæ, cui dantur, & hæc absolute dicitur principium quod, & semper verum est dicere, homo generat hominem, etiamsi detur potentia generatiua superaddita, quæ sit accidens, quia hæc debetur homini formaliter vt homo est, & hominis natura immediatè cum hæc potentia concurrat, vel si substantia immediatè ad productionem substantiæ non concurrat, Deus concurrat cum potentia generatiua tanquam cum instrumento nature humane per specialem concursum, quem præstat nature loco, & quem simul exhibet potentia accidentali, quia est instrumentum substantialis nature.

10 Ex dictis principijs rationem hanc attexit, propter quam productio Verbi sit generatio, non autem productio Spiritus sancti. Principium generatiuum Verbi est persona Patris, quæ ex natura, & propria Patris substantia, quam ipse ab actiua generatione formaliter non distinguit, resultat. Vnde actio, quæ ab hoc principio procedit, à natura formaliter vt natura procedit, & si illius terminus sit eiusdem nature cum principio, vt accidit in productione Verbi, talis actio erit productio termini in similitudinem nature respectu principij, vt principium formaliter est natura, cum immediatè procedat à principio per naturam

constituro. Principium spiratiuum, siue formaliter distinguatur, siue non, ab ipsa spiratione actiua non est filius formaliter vt filius, neque Pater formaliter vt Pater, quia si Filius formaliter vt Filius, & Pater formaliter vt Pater essent principia spiratiua, nõ spirarent per modum vnus principij spiratiui, quod dici nefas est, certum est enim Patrem, & Filium spirare tertiam Trinitatis personam per modum vnus principij spiratiui. Est ergo principium spiratiuum quid commune Patri & Filio, quod aduenit Patri iam constituto in esse suppositi, seu primæ personæ, & Filio constituto in esse suppositi seu secundæ personæ, neque ex hoc principio adueniente secundum nostrum concipiendi modum Patri, & Filio per modum accidentis resultat aliud suppositum, cum quia inaudita est quarta substantia relatiua, tum quia de ratione substantiæ est incommunitabilitas alteri personæ: si autem virtus spiratiua, seu spiratio actiua constitueret personam, iam Pater & Filius dicerentur eadem persona. Ob quod Pater Ruiz disp. 70. sect. 3. n. r. censet temerarium & periculosum errorem esse concedere substantiam, vel suppositum aliquod commune Patri, & Filio, & apertum errorem affirmare personam vtrique communem. Resultat ergo aliquod singulare principium Spiritus sancti ex essentia diuina, & duobus suppositis Patre & Filio, & virtute spiratiua, seu actiua spiratione, quæ non vnitur immediatè essentia, sed media Paternitate, & Filiatione vt notat Pater Soar lib. 10. c. 4. n. 4. P. Ruiz disp. 7. num. 9. ac proinde potentia spirandi aduenit duobus suppositis iam constitutis in suo esse. Vnde etsi propter summam identitatem, spiratio sit substantialis ex modo tamen adueniendi se habet veluti accidens adherens, & adueniens supposito iam constituto, vt aduertit P. Soar. nuper citatus n. 6. in fine. Ex his concluditur iuxta principia supra tradita tertiam personam Trinitatis non procedere à natura formaliter vt natura est, & ita illius productionem non esse generationem, quia de ratione huius est procedere à natura formaliter vt natura, & terminum genitum produci in similitudinem nature suo principio formaliter vt tale principium natura est, Spiritus autem sanctus etsi procedat eiusdem nature cum Patre & Filio non potest in hanc similitudinem procedere, quia illius principium quod, non est natura formaliter, vt natura, quæ est in ordine ad suppositum constituendum, sed aduenit formaliter duobus suppositis iam constitutis. Itaque productio Spiritus sancti generatio non est, quia procedit à duobus suppositis, quodam producto, & altero improducto, quibus iam constitutis aduenit spiratiua virtus, seu spiratio actiua: quod si virtus spiratiua esset constitutiua vnus, vel duplicis suppositi, à quibus procederet Spiritus sanctus sicuti virtus productiua, seu productio actiua Filij si à virtute productiua formaliter non distinguitur est constitutiua primæ personæ Trinitatis, Spiritus sanctus genitus diceretur, quia non ex eo præcisè quod procedat à duobus suppositis non dicitur genitus, generationi enim ex prædicatis essentialibus generationis vt sic non repugnat siue ab vno siue à duplici supposito procedere, sed ex eo non dicitur genitus Spiritus sanctus, quia procedit à duobus suppositis, quibus iam constitutis aduenit ratione nostra spiratio, & virtus spiratiua. Eadem ratione non diceretur genitus si procederet ab vno supposito, cui iam constituto, quasi accidentaliter ex modo nostro concipiendi adueniret virtus productiua, & productio actiua Spiritus sancti, quia tunc non procederet à natura formaliter vt natura.

Adduxi hos omnes dicendi modos, vt quilibet possit illum, qui magis ariserit eligere, neque aliquem aliis præfero, neque in hac re modò meum aperio animum, hæc enim questio non ad Philosophum, quem modò tantum ago, sed ad Theologum attinet, ex illa enim vt ex dictis visum est pendet modus defendendi veritatem Catholicam, videlicet Verbum esse genitum, & esse filium, Spiritum verò sanctum etsi procedentem à Patre, & Filio, & eiusdem nature cum vtroque neque genitum esse, neque Filium dici.

## PUNCTUM VII.

## Nonnulla expediuntur de Generatione.

Circa principium generationis primò posset inquiri, quomodo ad illam dispositiones concurrant, quam

Mm 4 questio

quætionem solui Controuersia 1. punct. 4. ex hac quæstione manet alia soluta iuxta nostra principia, an videlicet ad generationem concurrat immediatè accidentia, quæ reperiuntur in passo, vel quæ in principio substantiali actiuo generationis subiectantur, cum enim ferat nostra sententia accidentia non effectiuè, sed dispositiuè cõcurrere, consequenter ad illam dicere debemus immediatè tantum ad generationem conducere accidentia recepta in subiecto generationis, & nullo modo, quæ in principio actiuo recipiuntur, dispositiones enim ad formam non se tenent ex parte principij actiuo, sed ex parte principij passiuo formæ, ad quam disponunt, in quo mediatè, vel immediatè recipiuntur. Locum hæc quæstio inuenit in sententia illorum, qui asserunt accidentia effectiuè concurrere ad formam, in qua dubium esse potest an influxus actiuus proueniat ab accidentibus receptis in præcipuo generante vel in subiecto generationis. Thomistæ hæc causalitatem tribuunt accidentibus in subiecto generationis receptis, quia hæc sunt magis applicata passo vt in illo formam producant, cum sint cum illo penetrata, & accidentia recepta in præcipuo generante, tantum possunt esse applicata secundum vltimam superficiem, & aliquando sunt valde distantia, sicuti accidentia corporum caelestium, à quibus plures formæ substantiales in terræ visceribus producantur, valde distant à terra, cuius materies est subiectum generationis talium formarum. Hoc Thomistarum fundamentum nullum est, quia etsi accidentia passi sint magis ipsi applicata, hæc maior applicatio necessaria non est, vt agens agat in passum, eo enim ipso quod principium adæquatum secundum aliquid sui sit immediatum passo potest agere in illud. Quod si penetratio sit maior applicatio, & magis conducat ad actionem, ex hoc non inferitur agens aliàs sufficienter applicatum, etsi non adeò stricta applicatione, nihil acturum, sicuti quando nihil agentis diuisibilis est penetratum passo, quædam partes illius sunt aliis magis applicata, & tamen omnes agunt in passum, sed tantum inferitur, quod si effectus esset diuisibilis, velocius, & intensior produceretur à principio magis applicato; tardius verò, & remissior à principio minus applicato. Neque illud quod obicitur de distantia accidentium, quæ recipiuntur in generante, quidquam difficultatis habet, quia semper præcipuum generans est sufficienter applicatum ratione effectus, quem producit in medio, vt producat in passo dispositiones ad formam: ergo accidentia recepta in eodem principio generante sufficientem applicationem habebunt, vt mediis aliis accidentibus in medio productis, quæ cum illis se possunt tenere ex parte principij actiuo effectiuè attingant productionem formæ substantialis.

2. Alia sunt positius fundamenta, quibus iuxta Thomistarum principia illius sententia eueritur: Sentiunt isti vltimam dispositionem produci actiuè à forma geniti, & omnia accidentia recepta in passo in instanti generationis effectiuè produci ab eadem forma geniti, & in illo instanti corrumpti accidentia, quæ præcesserant in corrupto. Ex quo principio duo inferuntur: primum non posse effectiuè produci formam geniti ab accidentibus, quæ existunt in instanti generationis, quia hæc ab ipsa forma producuntur, & non possunt in eodem genere cause esse priora & posteriora forma substantiali. Secundò infero formam non posse effectiuè procedere ab accidentibus, quæ præcesserunt incorrupta, & non subsistunt in instanti, quo forma producitur, quia nullus effectus potest efficienter dependere à causa actu non existente. Respondent Thomistæ sufficere accidentia immediatè antè extitisse, vt ab illis iam non existentibus possit nunc effectiuè forma geniti dependere. Inanis sumptus ad rem aliàs fundamento destitutam defendendam. Ruit solutio ex doctrina tradita Controu. 7. Physic. Punct. 4. vbi probaui requiri existentiam cause in eodem instanti, in quo producitur effectus, vt hic ab illa possit dependere. Miror in super doctrinæ in consequentiam tribuitur influxus actiuus accidentibus receptis in subiecto, & non in præcipuo generante, quia accidentia in subiecto recepta sunt illi magis applicata in ordine ad locum, & non expenditur maior applicatio, quam habent accidentia recepta in generante in ordine ad tempus, siquidem hæc sunt in eodem tempore, in quo generatio, & illa tantum in tempore immediato, quasi approximatio in ordine ad tempus minus necessaria esset in ordine ad actionem, quam applicatio in ordine ad lo-

cum, cum longè strictior temporis quam loci applicatio requiratur, siquidem fert communis sententia posse de potentia Dei absoluta principium actiuum producere effectum in passo valde distant in ordine ad locum, & nullus somniauit posse principium actiuum distant in ordine ad tempus à passo in illo effectum producere. Tenet insuper omnium sententia agens in adæquatum sufficienter applicari passo in ordine ad locum medio alio comprincipio seu agenti in adæquato, & tamen omnes requirunt totum principium adæquatum secundum quamlibet partem sui esse immediatè applicatum in ordine ad tempus subiecto, in quo effectus est producendus eidemque effectui producendo.

Concludo ex his iuxta principia Thomistarum quæ non concedunt accidentia communia genito, & corrupto, sed asserunt accidentia recepta in genito in primo instanti generationis à forma eiusdem geniti produci, tantum posse attribui virtutem actiuam (si aliquibus accidentibus tribuenda est) accidentibus receptis in præcipuo generante, propter rationes supra adductas contra Thomistarum sententiam. In sententia verò, quæ asserit eadem accidentia permanere in genito, & in corrupto, & accidentia recepta in genito non dependere effectiuè in primo instanti generationis à forma geniti, posset prædicta virtus effectiuè concedi accidentibus receptis in subiecto generationis, tum etiam receptis in præcipuo generante, quia cum omnia sint eiusdem rationis omnibus similis virtus inerit, & ex alio capite omnia sunt sufficienter applicata ad formam producendam, neque principium est aliquod, ex quo possimus specialius actionem generatiuam tribuere accidentibus præcipui generantis, quam accidentibus receptis in subiecto generationis, neque in forma prædictam aliquod reuocet, ratione cuius illi repugnet produci transuenter ab accidentibus receptis in præcipuo generante, vel produci quasi immanenter ab accidentibus receptis in eodem subiecto generationis, in quo ipsa recipiuntur, sed æquè indifferens erit vt ab vtriusque producatur, si produci potest ab aliquibus accidentibus.

Secundò dubitari potest an feminæ semen emittant? Negat Aristot. 1. de generatione animalium cap. 10. & cum eo peritissimi Medici asserentes feminas solum mimitare humorem quendam, & non verum semen, sicuti in spadonibus contingit. Ex Theologis defendunt hæc sententiam D. Thom. 3. part. q. 32. art. 4. & alij quam plurimi ipsum sequuti, quos referunt nostri Conimbr. lib. 1. de Generat. cap. 4. q. 27. artic. 1. Pro opposita sententia stant Hippocrates lib. de genitura, & lib. de diæta, Galenus lib. de vlt. partium, Valles. lib. 1. Controuers. cap. 6. cum prædico Medicorum agmine: his non pauci hærent Theologi apud P. Soar. tom. 2. in 3. part. disp. 10. sect. 2. *De ratione*. Sententiam hæc asserit Hurtadus disp. 13. sect. 5. Anatomicis esse competentem, ex quorum argumentis constat feminas verum semen emittere, illud dealbicare, & esse elaboratum propriis instrumentis, quæ etiam feminis ad rem hæc natura prouidit.

De semine virili dubitari non potest necessarium esse ad formationem foetus, quod experientia ipsa compertum est, cum numquam formatio foetus absque masculo semine contingit. Difficultas esse potest quomodo concurrat semen ad generationem. Opinio est vtrumque semen concurrere actiuè ad formanda organa: hæc est omnium Medicorum etiam negantium feminis verum semen. Sententiam hæc suadet feminis materia, quæ nimis spirituosus est, spiritus autem plurimum ad actiuitatem conducunt, & in effectus efficiendos inuenti sunt à natura. Deinde semen masculinum passiuè concurrere ad foetum, ita vt in eius materiam inducatur anima, docent Hippocrates, & Galenus, aliisque quamplurimi Medici apud Conimbr. lib. 1. de Generat. c. 4. q. 28. art. 1. Neque ex hoc inferitur idem agere in se ipsum, quia semen includit partes quasdam sanguineas valde crassas, alias verò spirituosas secundum spirituosas in hac sententia agit, & disponit organa, secundum crassas patitur foetum eductum ex illis. Opposita sententia videlicet semen non concurrere actiuè communior est inter non Medicos, quia semen est imperfectius viuentem, ac proinde non potest illud se solo producere, quin concurrat viuentem, vel Deus supplens vices illius: concurrente autem Deo vel viuentem impertinentem est concursus feminis, & sine fundamento adstruitur.

Masculis non posse tribui concursum distinctum ab eo, quem

quem præstant medio semine ab illis decimo extra contro-  
uersiam est, cum nullo modo applicentur, & maxime di-  
stent cum foetus formatur. Difficultas est an feminæ acti-  
uè concurrant ad formationem foetus. Affirmatiuè respon-  
det Hurtad. disp. 2. sect. 6. cum Ochamo in 3. quæst. 3. &  
Gabr. ibidem dist. 4. quæst. vnica. Negatiuam partem de-  
fendunt Angelicus Doctor supra, Bonavent. Scot. Gabr. &  
Maff. apud P. Soar. 3. p. tom. 2. disp. 10. sect. 2.

7 Circa principium actiuum vnionis humanæ dubitari  
potest an possit ab anima produci. In qua re negatiuè re-  
pondeo cum Hurtado sect. 3. quia anima nihil agit in ma-  
teria, nisi quatenus actus illam informans, non est enim  
forma purè assistens, ac proinde ad hoc vt in eam agat  
supponitur illi vnita. Ex hoc capite disparitatem depre-  
hende, propter quam anima possit esse principium suæ par-  
tialis vnionis per nutritionem acquisitæ, non verò vnio-  
nis totalis, ex vi cuius primo materiam informat, quia ad  
hanc non potest vnita per aliam vnionem supponi, ad  
illam verò partialem vnionem in nutritione acquisitam  
supponitur vnita per vnionem, ex vi cuius anima primo  
materiam informat.

8 Disputari solet de partibus foetus, quæ prius formen-  
tur? Galenus cum Hippocrate apud Conimbr. lib. 1. cap. 4.  
quæst. 29. art. 3. docet hepar primum gigni, quod tenet Val-  
les. lib. 2. Controuers. cap. 5. propè finem, & alij quam plu-  
rimi Medici. Peripatetici omnes cum Aristotele docent  
cor prius efformari, quibus adhæret Peramatus lib. de homi-  
nis creat. cap. 4. Stoici tenent omnes partes præcipuas  
hominis, quæ virtute spermatis sunt simul efformari. Sen-  
tentiam hanc tenent pluri in antiquis, & recentioribus  
Laurentius Andreas lib. 8. quæst. 5. P. Garcia disp. 38. cap. 1.  
quam probabilem putat Valles. lib. 2. Controu. cap. 5. Nec  
desuere alij, qui asserent spinam prius efformari, sicuti  
carinam in nauis, neque qui dicerent ossa ante partes car-  
neas produci sicuti domus fundamenta.

9 Circa tempus, quo formetur foetus est communis Theo-  
logorum sententia in viris animam infundi die quadrage-  
simo à conceptione, & in feminis die octuagesimo. Con-  
sentiunt P. Soar. tom. 2. in 3. part. disp. 10. sect. 2. §. suppono  
quarto. Eminentiſſimus noster Cardinalis Tolet. in cap. 2.  
Lucæ, annotat. 34. & grauiſſimus Maldonatus in idem cap.  
2. & alij plures interpretes, quorum fundamentum est  
lex, Leuitic. cap. 12. vt purificaretur puerpera die quadra-  
gesimo, quæ virum peperisset, quæ feminam autem, die  
octuagesimo, in qua lege dies purificationis assignatur re-  
spondens diei, in qua proles efformatur. Huius legis ratio-  
nem aliam reddit Theodoretus quæst. 14. neque Patres,  
qui huic rationi subscribunt intendunt id ex propria sen-  
tentia definire, sed iam ab alijs traditum supponunt, &  
iuxta illorum sententiam legis Leuiticæ rationem reddunt.  
Valles. lib. 2. Controuers. cap. 9. cum pluribus Medicis ait  
feminas non ante diem quadagesimæ, mares verò triginta  
formari diebus. Laur. Andr. lib. 8. q. 19. docet forma-  
tionem feminæ nunquam excedere duos supra quadra-  
gesima dies, mares verò triginta efformare. Sententiam  
hanc confirmat Peramatus lib. de hominis creat. cap. 5.

10 Circa gestationem prolis experientia docet nono me-  
se naturalissimè, feliciterque partus contingere, præcipuè  
cum dimidium noni mensis intra vterum foetus expleuit.  
Partus septimo mense naturales esse docet Hippocrates, &  
suadet experientia: octauo autem mense infeliciter sem-  
per accidunt. Rationem accipe ex Vallesio: Infantes se-  
ptimo mense lucem extra maternum vterum videre pro-  
curant, quod si non consequantur, octauo indigent mense  
vt recreentur à labore suscepto, qui si non illis conceda-  
tur, sed mense octauo natiuitas succedat, labor labori ad-  
ditur, & priori vexati posteriore sustinere non valentes  
pereunt. Nono mense regulariter secundè partus contin-  
gunt, sed non minus secundè, est raro, decimo mense, quia  
decimus mensis magis distat à septimo, in quo infantes  
defatigantur motu, quem incassum præstitere, vt lucem vi-  
derent. Constat etiam tum ex sacris literis aliquos partus  
decimo contingere mense, Sapient. 7. num. 10. *In ventre ma-  
tris figuratus sui caro decem mensium tempore*, tum etiam ex  
profanis, sic enim Ouidius:

*Annus erat decimus cum Luna repleuerat orbem,*

*Hic numerus magno tunc in honore fuit.*

*Seu quia tot digiti, per quos numerare solemus,*

*Sen quia bis quino femina mense parit.*

Aliqui numerum istum decem mensium intelligunt iuxta

menses Astronomos, & non iuxta menses Calendarij, sunt  
enim menses Lunares & Solares, & menses Calendarij: ho-  
rum breuiiores sunt Lunares, maiores Calendarij, & me-  
dij Astronomicij, & hac ratione ex nouem mensibus Cal-  
endarij fiet dierum numerus attingens decimum mensum  
Astronomicum, & qui iuxta Calendarij menses partus  
tempus recentent, nono mense contingere affirmant, &  
qui iuxta menses Astronomorum partus tempus metiuntur,  
decimo mense accidere testantur: de hac re legen-  
di sunt Soar. tom. 2. in 3. part. disput. 13. sect. 3. Conimbr.  
suprà. Refert etiam Laurentius lib. 8. quæst. 30. partus  
sextimestres fuisse superflites. Neque tacere volo me au-  
disse doctissimum Medicum principis philosophicis appri-  
mè instructum in hac Complurensi Academia meritissi-  
mum primæ Cathedræ Rectorem, defendentem natu-  
raliter posse quinto mense felici prolis euentu partum  
contingere, quia potest esse aded excellens matris tem-  
peramentum, vt illo quinque mensum spatio foetus ma-  
tureſcat, sicuti enim sunt Prouinciæ, in quibus terra  
aded ferax est, vt bis in anno in fructus erumpat, quos non  
nisi duplo tempore aliarum Prouinciarum sola valent  
procreare, ita possunt nonnullæ dari feminæ, quæ quinque  
mensibus conceptam prolem ad illud augmentum nascen-  
di que opportunum statum promoueant, ad quæ non nisi  
septem mensium curriculo aliarum matrem ope purueni-  
re possent.

In his, quæ hoc Puncto tetigi aliorum retuli sententias, II  
neque meus fuit animus propriam tradere, aut de alio-  
rum relatis iudicium ferre, quia illorum pleraque ad Me-  
dicos spectant, omniaque nihil utilitatis viro Philosopho  
& Theologo afferunt, & ita illa potius non obliuisci, quam  
meminisse par est.

PUNCTVM VIII.

De Corruptione.

CORruptio generationi opponitur, quapropter de I  
vtraque simul agendum est. Desinitur corruptio:  
*Desitio rei in aliam. Ly desitio*, loco generis ponitur, quæ  
annihilationem comprehendit: *ly in aliam*, differentia  
vices gerit. Desitio est suspensio actionis, seu negatio  
actionis, quæ immediatè antea fuit, non enim definire  
dicitur, quod non præcessit. Itaque desitio supra non ef-  
se actionis addit ipsam actionem immediatè antea præ-  
cessisse. Illa particula, *in aliam*, denorat rem corruptam  
non ita annihilari, vt nihil illius maneat, subiectum vi-  
delicet, accidentia, aut aliquid aliud, quod loco illius pro-  
ducatur. Ex his inferes lucem aeris extinctam in aliud de-  
finere, quia extincta luce illius subiectum adhuc remanet.  
Cum verò res subiecto caret, veluti materia prima, si ipsa  
desinat esse, & maneat illius accidentia, vel aliquid loco  
illius producatur, non dicitur annihilari, sed corrumpi,  
quia desinit in accidentia propria, quæ remanent, vel in il-  
lud, quod loco illius producitur. Ob hanc rationem asse-  
runt Patres substantiam panis non annihilari in Eucharis-  
tia, quia remanent illius accidentia, & loco eiusdem sub-  
stantiæ panis, Christi corpus subrogatur. In hoc Patrum sen-  
su, qui annihilationem vocant desitionem rei, cuius nihil  
remanet, substantiam panis non annihilari de fide est, quia  
desinitum est, & sensuum euidentiâ compertum permane-  
re panis accidentia in Eucharistica transubstantiatione. Ni-  
hilominus tradit Hurtadus disput. 1. sect. 8. num. 84. desitio-  
nem panis in Eucharistia strictè, & metaphysicè loquen-  
do esse annihilationem, licet non ita possit dici in Patrum  
sententia, qui tantum intendunt simul cum substantia pa-  
nis non illius accidentia desicere, quod firmum est, & Ca-  
tholicè tenendum.

Iuxta hunc dicendi modum desitio actionis creaturæ an-  
nihilatio semper erit, quia cum terminus creatus à subie-  
cto non dependeat, non potest in subiectum definire.  
Difficultas est, an omnis desitio actionis generatiuæ sit  
corruptio. Pro negatiua parte hæc adstruitur ratio: De-  
struat Deus in eodem temporis instanti materiam, & for-  
mam equi, tunc forma equi non desinet in subiectum, quod  
superflites non erit: ergo non desinet in aliud: ergo non  
erit corruptio. Aliqui recentes, qui mediam educationem,  
seu actionem educationem adstruunt inter creationem, &  
generationem, aliam suspensionem actionis meditantur  
mediam

*Doct. Par-  
reda.*

I


2

mediam inter annihilationem, & corruptionem, & sicuti defendunt actionem, ex vi cuius educitur forma ex materia in primo instanti, in quo materia creatur, non esse generationem, quia non est mutatio ex defectu subiecti prius tempore precedentis, neque creationem, quia est dependens à subiecto, sed mediam quamdam actionem, quæeductio dicitur: eadem ratione affirmant desitionem formæ dependentis à subiecto, quam comitatur desitio subiecti in eodem temporis instanti contingens, non esse annihilationem, quia non est desitio rei independentis à subiecto, neque corruptionem, quia non est mutatio generationi opposita, ex vi cuius subiectum transeat à forma ad negationem formæ, ex defectu subiecti subsequens, seu existentis in instanti temporis, in quo negatio, seu non esse formæ existit.

3 Nos, qui asserimus de ratione generationis non esse mutationem, neque quod subiectum prius tempore præcedat priuatum formam genitâ, constanter tenemus non esse de ratione corruptionis ut subiectum remaneat aliquo tempore priuatum forma corrupta, quia sicuti impertinens est ad actionem positam in hoc instanti dependentem à subiecto, subiectum tempore immediatè præcessisse, ita impertinens est ad hanc desitionem actionis, seu ad hoc actionis non esse, subiectum immediatè post formam permanere, seu existere in instanti, in quo existit non esse actionis, quia hoc cum sit purum nihil, & strictè loquendo non possit dici ipsum esse, sed potius non esse, quia non esse seu negatio actionis, nihil aliud importat, quam ipsam actionem non existere, quod nullo modo dependet à subiecto, neque huius existentia necessaria est ut sit non esse actionis dependentis ab illo, potius ex negatione subiecti rectè inferitur non esse actionis dependentis à subiecto.

4 Ad argumentum supra adductum respondeo: casu, quo materia, & forma equi simul desinerent, formam quatenus est ex se desinere in aliud, videlicet in subiectum, quia tunc desitio subiecti per accidens comitaretur desitionem formæ, quia hæc non illam exigebat, neque ex eo quod sit formæ desitio per locum intrinsecum inferitur à priori desitio subiecti, quia formâ desiciente potest permanere subiectum vel sine aliqua forma, vel cum alia adueniente, quod si alia non aduenerit, hoc non est ratione formæ desinentis, quæ non impedit, dum desinit, aliis cuiuscumque aduentum.

5 Solet inquiri, an corruptio intendatur propter se à natura: in qua re assero agens liberum posse per se intendere corruptionem formæ accidentalis, quam ipse liberè conseruat, quia potest velle cessare ab actu amoris vel cognitionis non intento alio actu opposito, sed tantum propter disconuenientiam, quam apprehendit in actu voluntatis, vel intellectus, alicuiusve sensationis, reliqua verò agentia naturalia numquam per se corruptionem intendunt, sed generationem: ignis enim cum destruit lignum, tantum intendit productionem formæ ignis, quia tamen forma ligni impossibilis est cum forma ignis, corruptio ligni sequitur ignis generationem. Quomodo generatio vnus sit corruptio alterius, & quis sit ordo inter generationem, & corruptionem, explicui iam Controuers. 8. Physicor. Punct. 3. §. 2.



### CONTROVERSIA III.

#### De augmentatione, seu aggeneratione substantiali & accidentalī accretione.

**A**UGMENTATIO, seu aggeneratio substantialis est actio, quæ substantialē compositum fit maius per quamdam quasi partialem generationem, quam aggenerationem multi, præcipuè ex recentioribus appellant, ex vi cuius acquirit nouam partem substantiæ, seu compositi, secundum quam augetur, idè postquam egimus de generatione totali, nunc agimus de partiali generatione, seu augmentatione substan-

tiali compositi. Hanc augmentationem, seu aggenerationem (substantialē consequitur alia accidentalis augmentatio, seu accretio, quæ est acquisitio quantitatis, ex vi cuius compositum fit maius quantitatiuè, seu nouam quantitatem acquirit, quæ præcedenti vnita maiorem complet quantitatem, quam compositum acquirere dicitur per hanc accretionem, quia acquirit portionem illam, quæ in ratione maioris complet quantitatem, de vtraque augmentatione in hac Controuersia sermo erit propter vtriūque affinitatem, & connexionem.

#### PUNCTVM PRIMVM.

Definitur augmentatio, & diminutio.

**A**UGMENTATIO substantialis definitur: *Motus à minori in maiorem substantiam*, cui opponitur diminutio, quæ est *motus à maiori ad minorem substantiam*. Terminus ille *minor substantia*, qui in priori definitione ponitur, tanquam terminus à quo, & in posteriori tanquam terminus ad quem dicitur duo, vnum positium, negatiuum aliud: positium est substantia illa, quæ minor denominatur: negatiuum est negatio quædam partis superadditæ positivæ præexistenti, ratione cuius minor denominatur, & per quam formaliter minor constituitur. In vtraque definitione intelligendus terminus ille *minor substantia*, secundum rationem negatiuum quam dicit, per quam formaliter substantia minor constituitur, ita ut terminus à quo augmentationis, & terminus ad quem diminutionis, qui significantur hoc concreto *minor substantia*, formaliter ut terminum tantum importent quid negatiuum, hoc est negationem alius termini, quem respicit augmentatio. Ex hoc inferes augmentationem esse motum à negatione partis subiecti acti ad nouam partem, secundum quam viuent augeretur: verò sit ad illam secundum se, seu ad illam ut acquisitam, seu ad illius acquisitionem, seu vniōnem postea dicam. Eadem ratione diminutio ordine inuerso eisdem respicit terminos. Augmentatio, & diminutio vtrumque terminum à quo, & ad quem, essentialiter dicit, cui necessaribz accidit mutatio, licet generationis accidentaliter contingat ratio mutationis, & accidentalis sit respectus ad terminum à quo, ad negationem videlicet in subiecto præcedentem, hoc de augmentatione nequaquam dici potest, quia nulla pars ex his, quæ producuntur in instanti in quo primò gignitur compositum est illius augmentatiua, sed primò constitutiua, dicit enim augmentatio additionem supra id, quod prius tempore habuerat subiectum illud, cui fit additio, quæ additio, essentialiter importat negationem præcedentem rei additæ. Eadem ratione diminutio dicit ablationem partis à toto, quod remanet, quia si in eodem instanti, in quo pars hæc destruitur pereunt reliquæ compartes, & totum corrumpitur, totum non dicitur diminutum, sed destructum.

Contingunt sæpe in eadem mensura temporis augmentatio, & diminutio secundum diuersas partes subiecti quæ aliquando ita fiunt, ut tanta sit portio substantiæ per augmentationem acquisita, quanta sit perditam per diminutionem in quo casu videtur augmentationem non esse motum à minori ad maiorem substantiam, neque diminutio à maiori ad minorem siquidem vtroque motu posito tanta erit substantia, quanta fuisset in instanti præcedenti vtriūque motum simul factum. Quod si contingat plus substantiæ acquiri per augmentationem quam per diminutionem deperditur, diminutio non erit motus à maiori in minorem substantiam, siquidem in eodem instanti, in quo fit diminutio substantia fit maior: si verò plus deperdat per diminutionem, quam per augmentationem requiritur, augmentatio non erit motus à minori ad maiorem substantiam, quia in eodem instanti, in quo fit augmentatio substantia fit minor: videtur ergo non rectè definitam esse augmentationem, & diminutionem. Cæterum si inspiciantur termini formales, quos supra augmentationi, & diminutioni assignaui, constabit integros in casibus adductis subsistere, semper enim augmentatio habet pro termino à quo negationem partis, quæ per illam acquiritur, & pro termino ad quem partem acquisitam, & diminutio habet eadem